LEONIS XIII.

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

Vol. VIII.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA
1889

LEONIS XIII.

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

VOL. VIII.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA
1889

LITTERAE APOSTOLICAE

DE BEATIFICATIONE VENERABILIS SERVI DEI
LUDOVICI MARIAE GRIGNON DE MONTFORT.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Misericors Deus de aeterna animarum salute, quas Unigeniti sui sanguis redemit, benignissime sollicitus, quum e veritatis semita deflectunt gentes et pravis ductae cupiditatibus in vitia et exitium prorumpunt, praeclaros identidem excitat viros, qui vitae integre actae exemplo ad se oculos convertant et scelerum exundantem colluviem coerceant. Sapientissimo hoc usus consilio, cum vertente saeculo ab Incarnatione Verbi decimoseptimo late per Galliam et Iansenii lues grassaretur et omne genus vitia ex tristi illa doctrinarum severitate scaterent, virum misit singulari et praestantissima virtute, qui sermone potens atque opere, doctrinam Sedisque Apostolicae magisterium strenuissime adsereret, collapsos mores vitae innocentia atque indefesso sacri ministerii studio ad evangelicae legis formam revocaret et mundi sapientiam per

stultitiam Crucis confunderet. Eximius huiusmodi Evangelii praeco fuit venerabilis Dei famulus Ludovicus Maria Grignon, qui « quasi ignis effulgens et thus ardens » visus est « directus divinitus in poenitentiam gentis » ad tollendas abominationes impietatis et pietatem corroborandam. Hic ex advocato Ioanne Baptista Grignon et Ioanna Robert de la Bacheleraie parentibus, censu quidem modico, sed genere et longe magis pietate nobilibus, natus est in Britanniae oppido « Montfort » nuncupato pridie kalendas Februarias anno reparatae salutis MDCLXXIII et proxima die sacro fonte regeneratus est, Ludovici nomen sortitus. Qualis postea futurus de tenero ungue ostendit. Ad quartum enim aetatis annum vix pervenerat, iamque Deum loqui in deliciis habebat, et angelica ornatus castitate silentium ac solitudinem puerilibus oblectamentis praeferre, diu in templis morari, atque ad Rosarii recitationem aliaque pietatis officia incumbere, egregiae indolis puer, unice cupiebat. Sanctam autem Dei Genitricem tam vehementi amore prosequebatur, ut nihil ei suavius iucundiusque esset quam Matris nomine illam compellare, omnique obsequio excolere; dulcique illius nomine insigniri voluit, cum sacro chrismate confirmatus fuit. Fratres parvasque sorores suas puerosque coaevos saepe ad divinam maiestatem adorandam atque ad alia pia exercitia compellebat, renuentes munusculis alliciebat, et apostolico zelo iam flagrans ipsos pro viribus a puerilibus nugis retrahere, atque ad virtutum cultum vocare studebat. Cum duodecimum annum ageret, in Rhedonensi Con-

legio Societatis Iesu collocatus a patre est, religione atque humanioribus literis instituendus, ibique talem sese iugiter praebuit, ut non raro ab ipsis magistris in exemplum pietatis ac sedulitatis discipulis daretur. Altiores vero aggressus disciplinas, ita sibi in ea studia incumbendum existimavit, ut dum ingenium mentemque humana sapientia imbueret, religionem impense coleret, susceptamque in baptismate innocentiae stolam puram intactamque servaret. Quare, in B. Mariae Virginis Congregationem cooptatus, huius munia sanctissime explevit, abstinentiae et mortificationi apprime deditus gliscentes cupiditates compescuit, et caritatis stimulis percitus quidquid e suo poterat egenis suppeditare non omisit, ac saepissime aegrorum animos piis verbis refecturus eorumque corpora curaturus ad nosocomia pergere gestivit. Humilitate, modestia, obedientia, pietate, quasi lucerna super candelabrum posita quadringentis ferme discipulis praelucebat. Philosophiae curriculum emensus, ad sacras disciplinas vertit animum, eaque de causa veluti obiturus iam tum Apostolicae vitae tyrocinium pedes Lutetiam Parisiorum contendit, neque coeli inclementia, longique itineris asperitas illum divina providentia confisum ab incoepto deterruit. Parisiis a parocho S. Sulpicii receptus est, sed brevi et ieiunia et aliae carnis afflictationes et exantlati labores tum in studiis obeundis, tum in caritatis muneribus exercendis, Ludovicum, qui modo sacros minores ordines susceperat, gravissimam in aegritudinem impulere, eumque omni ope destitutum nosocomium publicum exce-

pit. Restitutis viribus, in parvum S. Sulpicii seminarium adscitus, paupertatis, obedientiae orationisque studio et fere caelesti, quam inivit, vitae ratione, sodalibus et moderatoribus magnam sanctitatis suae opinionem indidit: in unaquaque enim virtute ita eminuit, ac si, ceteris posthabitis, illam toto pectore solummodo excoluisset. Interea quum ad presbyteratum proximum se nosceret, theologicis disciplinis tam sedulam dedit operam, ut, facto publico doctrinae suae periculo, adstantium omnium expectationem superaverit; nihilo tamen minus tanto sese imparem muneri tantoque indignum honore existimans, nonnisi tremens lacrymisque perfusus oneri successit, et primum sacrum, cui diuturnas preces prolixasque rerum caelestium commentationes praemiserat, mirifica prorsus pietate litavit. Eodem quo fuerat ad presbyteratum evectus anno, scientia et sanctitate iam Apostolico ministerio par, sacris expeditionibus operam dare aggressus est, et quamplurima tum Parisiis, tum Pictavii praeclara charitatis et sanctimoniae monumenta edidit. At graviorum laborum cupidus et misertus infidelium in tenebris et in umbra mortis sedentium, ut in dissitas eorum regiones evangelii lucem allaturus mitteretur, Clementem XI Praedecessorem Nostrum adiit, eique consilium votumque suum aperuit. Verum cum ex illius ore audiisset, sese ad Galliae potius, quam ad barbarorum salutem curandam a Deo selectum fuisse, potissimum ut adversus Iansenianam haeresim tum late grassantem strenue dimicaret, Pontificis verbis excitatus, in spiritu et virtute Ecclesiae zelo exar-

sit pro domo Dei, dicto obediens continuo in Galliam reversus est, et Missionarii Apostolici munere auctus, sacro huic ministerio, quoad vixit, se plane devovit. Quot in eo munere itinerum, aestus, frigoris, imbrium, famis, sitis, nullo unquam viatico instructus incommoda pertulerit, haud facile dictu est. Sacrarum eius missionum labores tamquam prodigium divinae virtutis censentur. Constat enim per totas occidentalis Galliae regiones plusquam ducentas missiones peregisse, pene innumeros peccatores quantumvis perditissimos ad salutis tramitem et haereticos ad Christi causam adduxisse, piis addidisse stimulos ad perfectionis semitam alacrius terendam, et Apostolico zelo flagrantem « non in sublimitate sermonis, aut sapientiae, ... sed in ostensione Spiritus et virtutis » oppidorum mores passim immutasse, cuiusvis sexus, aetatis, conditionis homines ad bonam frugem revocasse, et Iansenianam pestem, quae inter ipsos Dei ministros iam serpebat, totis viribus inde propulsare studuisse. Suas quoque curas intendit, ut erga Dominicae Passionis augusta mysteria et Immaculatam Virginem Dei matrem pietas, praesertim per Marialis Rosarii frugiferam consuetudinem, late propagaretur: qua quidem in re inter strenuos Guzmani Patriarchae discipulos nemini secundus apparuit. Attamen hos inter multiplices, quibus diu noctuque distinebatur. sollicitudines semper perinde totus in virtutibus exercendis et sanctitate excolenda fuit, ac si nullo esset alio negotio impeditus. Periculis, iniuriis, conviciis obnoxius, sicuti gentium Apostolus, non modo interrito animo omnia

toleravit, sed in omni tribulatione gaudio superabundans, cum illo dicere visus est: « Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi ». Tandem ne amplissimi fructus, quos ubique perceperat, perirent, ipse operis sui perennitati consuluit. Hinc ad missionum opus nonnullos a divina providentia oblatos sodales sibi adiunxit, quibus sapientissimas aptissimasque regulas primum ab Episcoporum, postea a Romani Pontificis auctoritate confirmatas commendatasque proposuit. fratresque addidit laicos, qui religiosae familiae ministrarent. Neque pauperum, quos semper in deliciis habuit, oblitus est: iis enim consultum voluit per congregationem piarum virginum, cui nomen a Divina Sapientia indidit, quas item idoneae prudentique regulae subiecit, quibusque pauperum et aegrotorum curam piamque puellarum institutionem concredidit. Ut a semine arbor, sic utraque congregatio maiora in dies, Deo favente, incrementa suscepit. Ex altera enim, conflata est pia illa Missionariorum Sancti Spiritus Congregatio, quae non sine amplissimo animarum fructu, multis Galliae regionibus operam suam impendit: altera autem religiosarum sororum familia, quae primum ab una, dein ab aliis ferme viginti puellis exordium duxit, non sine insigni Galliarum emolumento, nonnulla millia alumnarum in praesentia complectitur. Inter tot tantaque divinae gloriae opera, ob grave laborum pondus, viribus destitutus, persecutionibus divexatus, opprobriisque saturatus (nullum enim ferme calumniae ac probrorum genus fuit, quod illi ab impiis illatum non sit), Dei famulus Lu-

dovicus, dum in vico S. Laurentii ad Separam. olim Rupellensis, modo Lucionensis dioecesis intra fines, Apostolici ministerii munus implet, ad vitae exitum pervenit. Mors viro fuit tam integrae vitae plene consentanea; Ecclesiae enim sacramentis munitus cupiens « dissolvi et esse cum Christo », in eius osculo placidissime obdormivit IV kalendas Maias anno MDCCXVI annos natus quatuor et quadraginta. Quoniam vero in memoria aeterna erit iustus, corpus quidem conditum sepulchro est, virtutum vero famam consequentes etiam aetates exceperunt, eiusque recordationem sane iucundissimam omnium veneratio prosequitur, et continuo ut Patriarchae Ioseph « ossa ipsius visitata sunt ». Itaque accedente quoque prodigiorum celebritate, quae a Deo patrata illius suffragio ferebantur, fama sanctitatis eius per universam Galliam diffusa, de venerabilis servi Dei Ludovici Mariae Grignon vita ac virtutibus delata causa est, ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus tuendis praepositorum, rebusque omnibus maturo iudicio perpensis, virtutes quibus Dei Servus inclaruerat heroicum attigisse culmen decrevit recol. mem. Decessor Noster Pius IX die sacra Archangelo caelestis militiae principi anno MDCCCLXIX. Postea edito per Nos decreto nono kalendas Martias anno MDCCCLXXXVI de veritate miraculorum, quibus heroica venerabilis Dei famuli virtus confirmari videbatur, quum VV. FF. NN. memoratae Congregationis Cardinales in generali conventu coram Nobis habito octavo kalendas Iunias anni

eiusdem, unanimi consensu, eumdem venerabilem Dei famulum inter Beatos tuto recensendum esse existimaverint, Nos postquam ferventi prece a Patre luminum subsidium opemque postulavimus, tandem XI kalendas Decembris eodem anno MDCCLXXXVI solemni decreto pronunciavimus, procedi tuto posse ad solemnem venerabilis Dei famuli Ludovici Mariae Grignon de Montfort Beatificationem. Quae cum ita sint, et Galliae Antistitum et utriusque Congregationis ab ipso Dei famulo institutae supplicationibus permoti, de memoratae Congregationis Cardinalium consilio et assensu, auctoritate Nostra Apostolica, harum literarum vi, facultatem facimus, ut venerabilis Dei famulus Ludovicus Maria Grignon de Montfort Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque Lipsana, seu Reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferenda, pubblicae fidelium venerationi proponantur et imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illo recitetur quotannis officium et Missa de communi Confessorum non Pontificum cum orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero officii celebrationem fieri dumtaxat elargimur in civitate et dioecesi Lucionensi, nec non in omnibus templis et religiosis domibus utriusque Congregationis a venerabili eodem Dei famulo institutae, ab omnibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missam attinet ab omnibus Sacerdotibus tam saecularibus, quam regularibus, ad ecclesias, in quibus festum agitur, confluentibus. Denique

facultatem facimus, ut solemnia Beatificationis venerabilis Dei famuli Ludovici Mariae Grignon de Montfort in templis supradictis celebrentur cum officio et Missis duplicis maioris ritus; quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium praefinienda intra primum annum postquam eadem solemnia, ob temporum conditionem, in aula superiori porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu secretarii supradictae Sacrae Congregationis sacris ritibus praepositae subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XIII Ianuarii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno decimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

HOMILIA

HABITA INTER MISSARUM SOLEMNIA
DIE XV IANUARII MDCCCLXXXVIII
QUO HONOR SANCTORUM CAELITUM DECERNEBATUR
BEATIS VIRIS BONFILIO ET SOCIIS EIUS
CONDITORIBUS ORDINIS SERVORUM MARIAE
ET PETRO CLAVER, IOANNI BERCHMANS, ALPHONSO RODRIGUEZ
SODALIBUS SOCIETATIS IESU.

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII.

Persolutis Deo clementissimo Nostrae pietatis officiis, quod Nos ad quinquagesimum sacerdotii annum servavit incolumes, solemnis hic dies, Venerabiles Fratres, dilecti filii, faustus ac felix affulget, quo uti ex evangelica narratione audistis Christi Domini memoriam recolimus, qui ab ipsis vitae exordiis salutem humani generis sanguine suo dedicavit, et salutaris Nominis Iesu maiestatem claritatemque suscepit. Laetamur maxime Reparatoris Nostri nomini, de quo scriptum est, non esse *aliud nomen sub caelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri,* officia venerationis nostrae persolvere; et eo magis laetamur quod in hac veneratione datur Nobis hodie potentiae et vir-

tutis eius illustria mortalibus documenta proferre. Admirabili enim virtute huius augusti nominis nova et insignia sanctimoniae lumina hodie rutilant mundo, viri nempe evangelica consilia secuti, qui in religiosae disciplinae septis alii sub nominis Iesu vexillo, alii sub Matris Perdolentis auspiciis militantes, ad supremum virtutis fastigium pervenerunt. In his caelestibus viris impletum est, quod in Apocalypsi Ioannis Apostoli Christus loquitur: « *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, . . . et scribam super eum nomen Dei mei, . . . et nomen meum novum* ». Quibus verbis divina Nobis veritas tradidit, non alia nisi nominis Iesu virtute, non alia nisi divina Servatoris Nostri gratia hominibus dari, ut victores saeculi pravarumque cupiditatum existant et triumphalia referant, atque hanc victoriam ad gloriam nominis Eius esse referendam. Hanc sane gloriam augusti nominis, hanc divinam virtutem Reparatoris Nostri Iesu, sancti caelites quos hoc nomine hodie primum veneramur splendide in victoria sua praeferunt, atque alte humano generi enarrant. Enarrant scilicet septem incliti Confessores Etruscae regionis filii, qui pietate in Deiparam insignes, sese ad religiosam familiam a se constitutam ipsi perpetua fide addixerunt, sanctaeque Dei Matri cruce adstanti, et doloribus in cruciatibus Iesu Filii sui transfixae, mentis et animi obsequium tota vita dedicarunt. Enarrat inclitus Maurorum Apostolus Petrus Claver confessor, qui quaerens quae sunt Iesu Christi, quadraginta annorum caritate ac laboribus effecit, ut innumerabiles homines Christum agno-

scerent, et in adoptionem ac hereditatem filiorum Dei reciperentur. Enarrat Ioannes Berchmans confessor, qui in religiosa vitae disciplina ad summam perfectionem iuvenili aetate contendens, sese in mortali corpore mirificum Angelorum caelestium aemulatorem exbibuit. Enarrat demum Alfonsus Rodriguez confessor, qui rerum asperarum patientia, contemptu sui, divini Magistri mitis et humilis corde in se imaginem retulit, id unum tota vita cupiens ut se illi probaret. In his omnibus sanctis viris, auctor et consummator fidei Christus Iesus ostendit humano generi trophaea virtutis suae, et huic saeculo in nequitia glorianti, sublimes fidei et caritatis divinae triumphos opponit. Quid enim cum his inclitis victoribus conferre queat superba mundi vanitas et praedicatio? Isti quippe sunt veri sapientes, qui non prudentiam neque sapientiam carnis secuti, quod supremum omnium bonorum est sibi unice proposuerunt, eiusque assequendi causa, in vita humana divina studia coluerunt. Isti verae humanitatis et compotes et assertores, qui animum suum ad divinum excolere et perficere exemplar studuerunt, et inter probra ac dehonestamenta dignitatis humanae sic vixere, ut caelestissimorum virorum perfectam in se imaginem referrent. Isti veri civitatis conservatores, qui suis dum viverent meritis, divinas ultiones ab hominibus avocabant, propitiam conciliabant opem; et nunc sua memoria et exemplo docent homines iis dare operam vitae studiis, quae humanae coniunctioni salutem et prosperitatem pariunt. Cum tales sint sancti caelites

quos hodie colimus, quam iusta est nobis, dilectissimi, causa, ut auctori bonorum omnium tribuamus laudes, et in illorum triumphis in Deo delectemur! At non his pietas nostra finibus contineri debet: verae enim pietatis ratio postulat, ut eorum exempla intuentes, ad vestigia persequenda haudquaquam segnes inveniamur. Ad hos itaque attollamus oculos et sanctitatis ac iustitiae ascensiones in corde nostro studiose enixeque disponamus. Sed Nobiscum pariter oculos attollant homines, qui caelestium rerum obliti omnes spes et cogitationes suas in huius vitae bonis posuerunt. Attollant qui malorum huius vitae impatientes ad iniqua consilia se misere demiserunt. Attollant iuvenes saeculi illecebris decepti, et qui vita gentium vivunt ac pravarum cupiditatum vinculis tenentur. Attollant hi omnes oculos, et malarum consuetudinum vim eluctantes ad virtutis capessendum iter impigre assurgant. Nec vero quemquam labor aut viae asperitas deterreat. Nulla enim opera illustrior ac fructuosior, quam quae in virtute adipiscenda collocatur: nec sanctorum horum caelitum benignitas adiutrix defutura est iis, qui eorum poscentes opem ipsa se dignos praestare contendant. Isti enim de sua felicitate securi, sed adhuc de nostra incolumitate solliciti, praesto sunt prona voluntate supplicibus, atque eius gratiae et benevolentiae qua pollent apud Deum, eum pulcherrimum putant fructum; si de animorum nostrorum ad meliora progressu et de nostra salute optime mereantur. Ad vos igitur liceat iam vota Nostra convertere, felicissimi Caelites, quorum memoria

et nomen supremis hodie honoribus consecratur. Prospicite e caelo romanam hanc Sedem. quae in gravi certamine praesidium vestrum implorat, et facite ut Reges et Nationes eam veluti matrem agnoscant et diligant, ac veluti tutum salutis portum in tot saeculi fluctibus pio studio respectent. Respicite catholicum nomen et poscite a Deo, ut vires ac robur adiiciat sacris Pastoribus, sacrorum virorum ordinibus, ac universo christiano populo ad pravitatem temporum et morum superandam, utque in iis omnibus vestra fides, caritas, fortitudo rediviva refulgeat. In vestram recipite fidem regiones quae vos caelo genuerunt, et tribuite iis ut vim sentiant caritatis vestrae et valido vestro patrocinio laetentur. Deprecatione demum vestra efficite, ut divinae iustitiae consilia humanas culpas ulciscentis in benignitatem clementiae convertantur; efficite ut quiescat hostium Ecclesiae furor, adversarum partium contumacia frangatur, virtute augusti eius nominis, cuius potentia felix vobis parta est victoria, cuius maiestati caelestia, terrestria et inferna subduntur, cui gloria et imperium in omnem aeternitatem.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE BEATIFICATIONE VENERABILIS SERVI DEI CLEMENTIS MARIAE HOFBAUER.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Caelestis humani generis Reparator, pusillo atque infirmo Apostolorum gregi animum alacritatemque sufficiens, palam edicebat: « Accipictis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae ». (Act. Apost. c. 2). Quare Spiritus supervenientis virtutem mirifice in Apostolis emicuisse, cum orbem peragrantes christianam religionem non minus veritate annunciata, quam laboribus toleratis et sanguine fuso, ubique terrarum disseminarunt, compertum exploratumque est; de Apostolorum vero successoribus Sanctus Spiritus divinis in litteris loquens, sagittarum more potentissimos fore praedicit, quae maximo impetu a robustissima viri manu iaciuntur. « Sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum » (Ps. 126). Eadem virtute fortes Apostolorum

successores omnis Ecclesiae aetas vidit ardua quaeque suscipere et eo successu, qui vires humanas excederet, infideles ad fidem, peccatores ad poenitentiam, mores ad sanctitatem, tum praedicationis efficacia, tum sanctimoniae splendore, tum signis etiam atque portentis inducere. Iamvero inter tot, peculiari quadam luce Clementem Mariam Hofbauer sacerdotem professum Congregationis Sanctissimi Redemptoris enituisse novimus, qui insignis Apostolorum imitator extitit, atque ob praeclaras virtutes nec non eximia sui ministerii gesta, iure meritoque Apostolus nuncupatur, et eiusdem Congregationis decus atque ornamentum.

In Moraviae oppido, vulgo *Tasswitz* nuncupato, hic ortum duxit VII kalendas Ianuarii anno MDCCLI parentibus honestis et virtute conspicuis. Simul atque lucem adspexit, sacro baptismatis fonte tinctus Ioannis nomine appellatus fuit. Patre e vivis sublato, pientissima parens eum adhuc tenellum ante sacram Iesu Crucifixi imaginem allatum Deo illum sacravit, deprecans, uti eum quasi filiolum tota deinde vita reciperet atque haberet. Nec frustra; egregia enim puer indole scite diligenterque excultus iuventutem iuste et pie transegit, nil magis in deliciis habens, quam pietatis officia sacrasque exercitationes. Deiparam Virginem uti Matrem dulcissimam tenerrimo prosequebatur amore et cultu praecipuo, eam quotidie iteratis precibus salutans et sabati ieiunio adhuc puerulus honorans. In pauperes maximo afficiebatur studio, eorumque inopiam qua potis erat sublevare satagebat. Hisce

virtutibus praeditus, morum disciplina optimisque artibus eruditus omnium benevolentiam ab ipsa pene infantia captavit. Sed cum iam illius aetas iuventutis flore vernaret, Deique amore quotidie magis ipse inflammaretur, egressum e paterna domo cogitare coepit, ut in secretum aliquem locum secedens divinis unice intentus esse posset. Nec multo post voti compos factus est. Oppidulum enim non longe a nativa terra invenit ibique sacellum sylvamque ab hominum concursu remotam. In hac tacita statione delitescens, Deo vacare et ad caelestia studiose contemplanda omnes curas impendere statuit. At eius sanctimonia latere diu non potuit, ac eius fama percrebescente, accolae ad tantum virum invisendum accurrere eiusque monita et consilia vel maximi facere coeperunt. Verum divini Spiritus vehementiori igne succensus, cum iam dubitare non posset se ad sacerdotii praecelsam dignitatem vocari, Romam sacris disciplinis operam daturus contendere decrevit. Post longum et pedestre iter, ad almam Urbem pervenit atque in Exquiliis prope aedem S. Mariae Maioris resedit, ubi tunc temporis coenobium sub titulo S. Iuliani sodales Ligoriani piis operibus addicti incolebant. Illuc ingressus, sodalium modestiam atque in rebus divinis meditandis intentum animum admirans, qui sint, qua lege homines isti vivant, quaerit. Cum a moderatore sodalitatem a sanctissimo Antistite Alphonso Ligorio institutam sacris expeditionibus peragendis cognovisset, continuo, ut in eam cooptaretur, enixis precibus efflagitavit. Nec pluribus opus, ut sodales inter Li-

gorianos nomen profiteretur suum et Clemens Maria appellaretur. Eo tempore sanctus huiusce sodalitatis Conditor adhuc vivebat, qui cum Clementis in sodalitatem ingressum rescivisset, miro gaudio affectus est, grandia de eo ventura praedicens. In ipso tyrocinii initio ita in rigidae disciplinae observantiam incumbere coepit, virtutumque nitore splendescere, ut certissimam de eo spem universi caperent. Quo expleto, anno MDCCLXXXV religiosae vitae vota nuncupavit, et quos in omnium virtutum cultu progressus fecerit, haud facile est dictu. Paupertatis ultro admissae studium, quod religiosae vitae fundamentum aestimabat, in eo mirabile prorsus extitit. Nec minus animi corporisque candorem, praecipuum virorum ornamentum, quos Deus sibi eligit, Clemens quasi pretiosum monile solerti cura servare sategit. Tanta siquidem praeditam morum severitate vitam degit, ut ea nihil non sanctum et castimoniam spirans exhiberet. Tandem obedientiae, quae ceterarum virtutum parens atque auctrix merito dicitur, cultor eximius sui sodalitii regulas tanti faciebat, ut eas cordi insculptas habuisse censeri debeat.

Exinde sacerdotio auctus maximis pro religione laboribus suscipiendis, invicto animi robore operam dedit, continuo in aciem progrediens, ut cum Christi nominis hoste pugnaret. Namque Summi Pontificis iussu ad Dei verbum praedicandum in septentrionales oras mittitur. Quo cum pervenisset, miro charitatis ardore incensus atque indutus virtute ex alto, Varsaviae a Nuncio Apostolico detentus sedem domiciliumque statuens, homines

a vitiis atque erroribus abductos ad Christi vestigia sectanda, ad rectam sapientiae semitam revocare vehementer adnixus fuit. Non illum prolixi temporis molestia, non asperi itineris longitudo, non arcta rerum inopia ab instituto cursu absterruit. Omnibus omnia factus, non animi tantum, sed corporis etiam utilitatibus consulens, omnibus opis indigentibus auxilium solamenque suppeditavit, teneram quoque aetatem amore prosequens, orphanotrophia a fundamentis erexit, piasque sodalitates pro iis tuendis instituit, innumeramque infantulorum multitudinem post bellicas clades ab interitu vindicavit.

Tam inauditam animi solertiam et fortitudinem ipsi hostes meritis honoribus prosequuti fuerunt. Ita eius studio, laboribus, indefessa caritate perditissimi homines ad bonam frugem traducti et catholica Religio istis in regionibus confirmata atque aucta. Sed humani generis hoste tantas sibi inferri ruinas aegre ferente et impiis hominibus in id conspirantibus, contigit, ut e Polonia Clemens exulare cogeretur. Quare Vindobonam octavo huius saeculi anno perrexit, non minorem ibi animarum segetem percepturus. Et sane praeclaram illam Austriaci Imperii principem urbem ingressus, ingentem molestiarum molem sibi impendentem percepit, ad quam, Dei auxilio fretus, invicto robore tolerandam se comparavit. Et primo quidem illud Apostoli ad Timotheum animo reputans: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate* (Ep. I, 4), virtutum omnium luculentum exemplar exhibere studuit. Deinde, ut Deo animas

penitus conciliaret, divinum cultum propagare enixe instituit, templorum nitorem restituere, et praesertim solemni ritu augustum sanctissimae Eucharistiae sacramentum fidelibus proponere, illos caelesti doctrinae pabulo nutrire, sacro in tribunali omnibus ad vitae sordes eluendas praesto esse. Susceptos in sui gloriam labores Deus propitius laeto prosperavit eventu. Omnium enim coepit ordinum concursus ad eum fieri; singuli eius virtutes suspicere, laudibusque extollere, eumque tamquam parentem summo amore prosequi, hinc illius duci consiliis, monitis obtemperare, alloquio ipso recreari certatim studebant. Sic Clemens Parentis sanctissimi vestigiis ingressus Apostolico muneri vacabat, et divini Reparatoris sodalitium, quod Alphonsus Ligorius in Italia instituerat, adscitis sibi sociis per septentrionales Europae regiones divinitus propagavit. Tot laboribus exantlatis, aerumnis toleratis, operibus confectis, fastigium atque coronam mors beata imposuit.

Siquidem aetate gravis, viribus fractus, morbi acerbitate oppressus, sereno atque invicto animo supremam horam oppetiit, et divinissimo Christi Corpore refectus, sanctoque oleo delibutus suavissimum Iesu eiusque Genitricis nomen intermortuis iterans vocibus, animam placido exitu efflavit idibus Martii anno huiusce saeculi xx. Magna populi frequentia, luctu vel maximo elatus est. Quae de eius sanctimonia fama in universa Germania, Polonia, ac praesertim Vindobonae tam ob egregias virtutes, quam ob praeclaram sacri ministerii exercitationem percrebuerat,

post eius mortem in dies magis magisque aucta est. Quare Pio IX, recol. mem. decessore Nostro iubente in Congregatione Cardinalium sacris Ritibus tuendis, absolutis omnibus quae in huiusmodi iudicio necessaria sunt, de virtutibus quibus venerabilis Clemens inclaruisset disputari coeptum atque de eiusdem Congregationis assensu heroicum attigisse culmen idem decessor noster Pius IX declaravit pridie idus Maii anni MDCCCLXXVI.

Post quaestio agitata est de miraculis, quae, venerabili Clemente deprecante, a Deo patrata ferebantur, atque omnibus severo iudicio perpensis, cum duo miracula vera et explorata iudicata fuissent, Nos rite ea probavimus decreto edito IX kalendas Martii anni MDCCCLXXXVI.

Tandem hoc unum restabat, ut memoratae Congregationis Cardinales interrogarentur, num venerabilem Dei servum inter Beatos recenseri posse existimarent; iique in generali conventu coram Nobis habito VIII kal. Iunii praedicti anni, tuto id fieri posse unanimi consensu responderunt.

Attamen in re tanti momenti Nostram pandere mentem distulimus, donec ferventibus precibus a Patre luminum subsidium opemque posceremus. Quod cum impense fecissemus, Dominica ultima post Pentecosten, recurrente quoque memoria Beatissimae Virginis Mariae ad templum deductae, superioris anni MDCCCLXXXVI solemni decreto pronunciavimus, procedi posse ad solemnem ven. Dei famuli Clementis Mariae Hofbauer Beatificationem. Quae cum ita sint, precibus moti universae Congrega-

tionis Sanctissimi Redemptoris, ex praedictorum Cardinalium sententia et assensu, auctoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi facultatem facimus, ut idem Dei famulus Clemens Maria Hofbauer, presbyter memoratae Congregationis Sanctissimi Redemptoris Beati appellatione in posterum decoretur, eiusque corpus et lipsana seu reliquiae (non tamen in solemnibus supplicationibus deferenda) publicae fidelium venerationi exponantur.

Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illo recitetur quotannis officium et Missa de communi Confessorum non Pontificum cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas missalis et breviarii romani.

Hanc vero officii recitationem et Missae celebrationem fieri dumtaxat concedimus in civitate et dioecesi Vindobonensi; nec non in omnibus templis et religiosis domibus Congregationis presbyterorum Sanctissimi Redemptoris ab omnibus christifidelibus, qui horas canonicas recitare tenentur, et quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus, quam regularibus, ad ecclesias in quibus festum agitur confluentibus.

Denique concedimus, ut solemnia Beatificationis ven. servi Dei Clementis Mariae Hofbauer in templis supradictis celebrentur cum officio et Missis duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium designando intra primum annum postquam eadem solemnia ob temporum conditionem in aula superiori porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint.

Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, modo manu Secretarii dictae Congregationis subscripta et Praefecti sigillo munita sint, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, his litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die xx Ianuarii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno decimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

LITTERAE APOSTOLICAE

DE CANONIZATIONE SEPTEM BEATORUM FUNDATORUM ORDINIS SERVORUM BEATISSIMAE VIRGINIS.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Prooemium

Inter Apostolici muneris officia, nulli quidem emolumento secundum, ceteris autem iucunditate illud longe praestat, quo christianorum heroum memoria solemnibus caeremoniis ac perpetua religione consecratur.

Inde enim non modo ad bene beateque vivendum magna nobis exempla et praesidia comparamus; sed etiam caelestis Ierusalem gaudia quodammodo praecipimus, et quod caput est, mirifice promovemus gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui est *primogenitus omnis creaturae, quoniam in ipso condita sunt universa, in caelo et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates* [1].

[1] Col. I. 15. et seq.

His de causis, atque etiam ut solemniores, quas possemus, Deo Optimo Maximo gratias haberemus, qui sacerdotii a Nobis initi Natali quinquagesimo humilitatem Nostram innumeris ac praeclaris beneficiis cumulare dignatus est, opportunum ac salutare duximus, decem beatis viris, quorum causae in promptu erant, supremos sanctorum honores decernere. Quod dum facimus, magna spe erigimur fore ut, quae hactenus ad catholici nominis incrementum, atque Ecclesiae libertatem feliciter moliti sumus, tantis intercessoribus optatum exitum, opitulante Deo, consequantur.

Gratias habet D. O. M. Sum. Pontifex ob Natalem quinquagesimum ab inito Sacerdotio.

Istorum autem intercessorum septem, quod Italiae nostrae valde gratulamur, foecunda illa magnorum sanctorumque virorum parens et altrix extulit Florentia, saeculo post Christum natum tertio decimo. Eorum haec sunt nomina: Bonfilius Monaldus, Bonaiuncta Manettus, Manettus Antellensis, Uguccio Uguccionum, Amideus de Amideis, Sosteneus de Sosteneis, et Alexius de Falconeriis.

VII viri fundatores, ac eorum patria commendantur.

Qui cum in turbulentissima incidissent tempora, hinc teterrimo foedissimoque Friderici II schismate, inde civilibus cruentisque populorum discordiis civilitatis christianae ad fastigium iam fere provectae excidium minitantibus, secum ipsi reputaverunt, illos, qui tantis malis occurrere non satagerent, a Christi religione mandatisque desciscere.

Quamobrem, cum Florentiae quidam iam conflatus esset piorum hominum conventus, qui a laudibus B. Virginis *Laudantium* titulo distinctus fuerat (laudabant autem

Fortunosis illis temporibus pio coetui Mariali, vulgo *Laudesi*, se aggregant virtutibus et exem-

plis praelucentes in ipso.

Virginem, ut per eam Christus Redemptor noster et Iudex populo propitiaretur), ei nomen dederunt, brevique factum est ut illorum virtute atque exemplis ad ducentos homines, eosque censu ac nobilitate spectandos, pia illa societas excresceret.

B. Virg. Deiparae suasu perfectioris vitae instituto se mancipant Natalitio eiusd. Virg. die.

Id accidit prope annum Domini MCCXXXIII. Eodem anno, dum septem viri, die sacro Virgini caelo receptae, in praedicto conventu ferventius orarent, sibi visi sunt eamdem videre, atque audire suadentem, ut perfectius vitae institutum capesserent, et nobilitate generis divitiisque posthabitis, totos se Christi famulatui mancipa rent. Nec mora: audito prius, uti par erat, Ardingo Florentiae Episcopo, septem viri amplissima patrimonia pauperibus distribuunt, ac sub vilissimis detritisque vestibus, cilicio induti, in ruralem parvam aediculam, prope civitatem in villa Camartia sitam eodem anno secesserunt natalitio die Beatissimae Virginis.

Ibi autem haec sibi potissimum statuerunt observanda: Deum diligere: se invicem summa caritate complecti: proximum amare: corpus iugibus afflictationibus domare: spiritum assidua contemplatione ac precatione alere, et quantum in terris licet, caelestem efficere. Haec, quae sibi proposuerant, adiuvante Deo, ita perfecerunt, ut Florentini eorum admirati in difficillimo vitae genere constantiam, illos plusquam homines existimarint, ac Deus maximo dulcissimoque miraculo opinionem populi confirmaverit.

Quasi divinitus ex o-

Referunt enim, quod ceteroqui probatum est lucu-

lenter, sodalibus nostris eleemosynam unde viverent ostiatim quaerentibus, non modo pueros, sed etiam infantes iis verbis acclamasse: « *Ecce servi Beatae Mariae Virginis: ecce servi Beatae Mariae Virginis* ». Inter quos primo loco censeri debet S. Philippus Benitius, magnum Servorum Beatae Mariae Virginis decus et praesidium futurus, qui cum quintum vix mensem ageret, matrem disertis verbis hortatus est, ut Deiparae Servis eleemosynam largiretur. Quamobrem praedecessor Noster Innocentius VIII in litteris Ap. quae incipiunt « *Apostolicae Sedis intuitus* » datis anno Incarnationis Dominicae MCCCCLXXXVIII, quibus Servorum Mariae Ordinis privilegia confirmat, iure meritoque ait, eos ita vocatos fuisse *quasi divinitus ex ore infantium.*

ro infantium vocati sunt Servi Beatae Mariae Virg.

Septem Beati, post miraculum, quod memoratum est, sive humilitas eos impelleret, sive desiderium procul a turbis dominicae passionis mysteria, et Sanctissimae Virginis dolores pacatius eoque penitius meditandi, in montem Senarium secesserunt. Quanta vero ibi fuerit eorum sanctitas, abstinentia, concordia, et reliquarum virtutum, praecipue fidei, spei et caritatis, sincera ac supra humanum modum excellens professio, notat iis verbis Benedictus XIV: *Iam pie ac sancte et tanta sensuum mortificatione septem ipsi fundatores in eremo vixerunt, ut Gaufridus Cardinalis, Gregorii IX Legatus, eos Servos admonuerit de nimia in se ipsos crudelitate*[1]. Victitabant enim in speluncis sola aqua herbisque contenti; et interea vigi-

In montem Senarium secedunt, nimia in seipsos crudelitate saevientes.

[1] De Servorum Dei Beatific. lib. II cap. XXIV num 166.

liis, ciliciis corpus castigabant, ut illud in spiritus servitutem redigerent. Quo factum est, ut in eremum frequentes hominum concursus fierent, quorum plerique se Beatis nostris socios adiungere vehementer optabant.

Ardingo Episcopo hortanto ac SSmae Virg. prodigio et oraculo, Ordo Servorum constituitur, qui amicitia et favore S. Petri Mart. fruitur.

Hinc Ardingus Episcopus, etiam atque etiam septem viros hortabàtur, ut societatem suam, certis legibus, certoque regimine constituto, ad religiosi Ordinis dignitatem evehi curarent. At illorum humilitas restitit donec Sanctissima Virgo oraculo suo faciendum praeciperet, quod ipsi exequi verebantur. Id autem evenit Dominica tertia Quadragesimae anno MCCXXXIX, cum parva quaedam vinea, quam paulo antea septem Beati in Senario monte plantaverant, floribus, frondibus uvisque copiosissimis undequaque redundans ex improviso, ab iisdem conspecta est. Mysterium ipsa Virgo explicare dignata est. Per idem enim tempus Ardingo Episcopo apparuit, declaravitque ea se figura significare velle foecunditatem ac pulchritudinem novi Ordinis, qui in sui nominis gloriam instituendus erat. Quae cum praecipientis in morem Virgo dixisset, maxima septem Beatos sollicitudo incessit dulcissimae ac potentissimae Dominae iussis statim parendi, ab eaque enixe precati sunt, ut ipsis adesset: agebatur enim de re gravissima, quae numquam bene peragitur, nisi divinitus fuerit inspirata.

Clementissima autem Virgo non modo inspiravit, sed Beatis sequenti die Parasceves an. MCCXL apparens, totam futuri Ordinis rationem designavit atque descripsit. Iussit novos Ordinis sodales nigra indutos veste, ad memoriam

dolorum eius incedere: iussit Sancti Augustini regulas observari: sacravit deinde nomen religiosae familiae, illud nempe « *Mariae Servorum* », quod pridem per infantes et lactentes Deus ipse sibi valde placere significaverat. Nec mirum si acerrimus ille fidei defensor Petrus Martyr, qui ab Innocentio IV Florentiam missus fuerat, huius Ordinis praestantia divinitus cognita, eiusdem propagationi totum se dicaverit. Hinc merito sacra Rituum Congregatio die VII Maii anno MDCLXXVII et Clemens X die XVII eodem mense et anno Ordinem Servorum ipsam instituisse Virginem affirmarunt. Quod quam suave, quam gloriosum sit, verbis exequi non possumus. Gratulandum igitur septem Beatis, eorumque sodalibus: gratulandum universo Servorum Ordini, qui religione ac pietate suos aemulatur Parentes, et gloriosam martyrum Reginam, cuius nutu et gratia ortus est maximo reipublicae christianae bono ac fidelium emolumento, colere atque honorare pergit.

In monte Senario decedunt, excepto Alexio de Falconeriis, cuius exuviae paullo deinceps ad illas sociorum apponuntur, et sub ara maxima quiescunt.

Septem porro Beati viri, cum bonum Christi odorem longe lateque effudissent, portentorum quoque fama insignes, eodem in monte Senario decesserunt, ubi caelestem potius quam humanam vitam traduxerant: die nempe XXXI Augusti MCCLI Beatus Bonaiuncta Manettus; kalendis Ianuarii MCCLXII Beatus Bonfilius de Monaldis; die XVIII Aprilis MCCLXVI Beatus Amideus; die XX Augusti MCCLXVIII Beatus Manettus Antellensis; die eodem et anno, nimirum III Maii MCCLXXXII, Beati Uguccio et Sosteneus. Omnium postremus Beatus Alexius de Falconeriis die XVII Februa-

rii MCCCX Florentiae obiit, sed eius corpus paulo deinceps ad socios suos appositum est.

Eorum cineres commixti, capita quoque haud distincta separatim coluntur, collectiva appellatione iugiter invocantur.

Nec multo post sacra illorum pignora sub templi ara maxima recondita sunt, ad quae invisenda ingens fidelium concursus illico incepit, tum propter invalescentem sanctitatis famam, tum propter miracula quae ob invocatas illorum suppetias omnipotenti Deo placuit elargiri. Numquam autem hic vel alter, designato nomine, ex septem Beatis invocatus est, sed cuncti simul collectiva appellatione *Septem Beatorum Fundatorum.* Fuit enim constans piorum hominum opinio fuisse in illis *unum,* uti aiebat Petrus Mediceus, *in septem corporibus versatum animum;* tanta fratrum illorum concordia fuit, tanta vitae ac virtutum similitudo!

Quo factum est, ut sacri illorum cineres in eadem urna conditi ita invicem commixti sint, ut nulla ratione partes vel minimae unius corporis, ab aliis alterius distingui possint. Eorum utique capita separatim coluntur: nemo tamen indicare potest ad quemnam ex septem Beatis hoc vel illud caput pertinuerit: adde communes esse icones altarium, tabellas votivas, atque ipsas etiam antiphonas et orationes eorum Officii.

Unde constat pio fidelium consensui ipsam accessisse Ecclesiam. Quod etiam ex causae actis luculenter confirmatur. Cum enim, ut celebriora afferantur exempla, nobilissima Falconeria gens causam canonizationis Beati Alexii ab aliis divisam in S. Congregatione proposuisset, die IV Octobris anno MDCLXVII sa. me. Clemens IX

eius introductionis commissionem signavit; itemque eius immemorialem cultum die xx Novembris anno MDCCXVII sa. me. Clemens XI ratum habuit, iisdem plane documentis productis quae pro reliquis sex Beatis Fundatoribus allata fuerunt.

Etiam unitate cultus liturgici eorum memoria celebratur.

Item unitas cultus liturgici erga septem Beatos Fundatores a Benedicto XIII sancita est: nam die III Martii MDCCXXVIII novum BB. septem Fundatorum officium praedictus Pontifex approbavit, illudque una cum Missa sub ritu duplici secundae classis ab universo Ordine Servorum Beatae Mariae Virginis recitandum indulsit.

Quum visum fuerit Sedi Apostolicae miracula ad communem illorum invocationem non sufficere pro canonizatione, causa conticuit.

Quae omnia, cum ad miraculorum disceptationem, iuris ordine servato, causa pervenisset, maximum ei adiumentum suppeditare posse non immerito videbantur. Nam cum pio populorum consensu et Ecclesiae decretis septem Beati Fundatores veluti unicam personam gererent, haud immerito videri poterat, miracula ad communem illorum invocationem patrata, cunctis tribui oportere, quemadmodum fit in causis martyrum. Nihilominus, etsi eadem iuris ratio aptari posse putaretur, cum post multas vices de miraculis actum est, summis eo tempore iuris sacri consultis ac medicis ea defendentibus, in Congregatione ordinaria habita coram Benedicto XIV sa. me. negativum datum est responsum, ex quo prodiit decretum die VIII Augusti anno MDCCXLIV. Nimirum, seposita indagine *super merito,* uti aiunt, visum est proposita miracula non *sufficere pro basi canonizationis:* quia ad collectivam septem Beatorum invocationem impetrata.

Novis miraculis ad collectivam invocationem supervenientibus, nova praeiudicialis quaestio auctoritate Apostolica instauratur.

Ex eo tempore causa conticuit. Cum autem nova supervenissent miracula ad collectivam eorumdem Beatorum intercessionem patrata, Archiepiscopus Lucensis, cuius in dioecesi unum ex iis evenerat, nec non plures ex Hetruria fideles, ac universus B. M. V. Servorum Ordo etiam atque etiam a Nobis postularunt, ut praeiudicialis quaestio instaurari posset. Quorum precibus, cunctis mature expensis, annuendum censuimus, ediximusque sacram Rituum Congregationem ordinariam, contrariis quibuscumque non obstantibus, ea de re iterum cognoscere.

Ista autem accuratae s. fidei Promotoris exegesi accedens, ac noviter deducta sedulo expendens, die XXVI Iunii anno MDCCCLXXXIV censuit procedi posse ad discussionem quatuor saltem miraculorum, quae ad collectivam septem Beatorum invocationem patrata ferebantur. Sacrum autem Congregationis scitum, quod sapiens Nobis visum est, eo ipso die auctoritate Nostra confirmavimus.

Referuntur quatuor miracula a Sede Ap. pro eorum canonizatione probata.

Quatuor autem, de quibus in sacra Rituum Congregatione disceptatum est, miracula eiusmodi sunt. Primum obtigit cuidam Ioannae Lugli, quae anno MDCCXXVIII primum fluxione catarrhali, deinde acerrimo capitis dolore tentata, oculorum lumen statim ac prorsus amisit. Cum adhibita remedia nihil profuissent, nam tum nervorum opticorum paralysis, tum maxime decrepita Ioannae aetas obstabant; haec hortatu filiae, monialis in asceterio S. Clarae Arimini, septem Beatorum patrocinium apud Deum interposuit. Acceptam itaque a filia Beatorum imaginem vix fronti applicuit, statim capitis dolorem, unde

origo morbi, mitescere sensit. Hinc plenae valetudinis excitata spes, quam minime fefellit eventus: nam die festo Conversionis S. Pauli, cum vetula aegre admodum, etsi comitata, ad praedictum monasterium sese contulisset, petiissetque a filia, ut septem Beatorum imagine tangeretur, statim videndi facultatem ita recuperavit, ut intercessorum suorum capita non modo numerare distincte, sed etiam, ut cordati asserunt testes, internoscere potuerit.

Excipit altera non minus miranda sanatio religiosae sororis Mariae Pulcheriae monialis professae in monasterio Servarum Reformatarum Beatae Mariae Virginis loci *Arcus* in Tridentina Dioecesi. Haec enim, cum atroci dysenteria atque ardentissima febri, quam dirae nervorum membrorumque convulsiones comitabantur, diu vexata esset, haud multo post acerrimis stomachi doloribus crebrisque vomitionibus adeo tentari coepit, ut medici de eius valetudine actum esse communiter iudicaverint.

Nec satis: anno MDCCXXV infestae tot morborum turbae ischias saevissima accessit, quae alternas inter vices et ipsa tandem ex se minitabatur exitium. Anno MDCCXXVIII cum atrocior facta esset miserrimae sororis valetudo, ea septem Beatorum deprecationem apud Deum adhibuit; qui clientulae suis tactae reliquiis ita adfuerunt, ut ea statim non modo melius se habere coeperit, sed etiam robustam, qua plures per annos usa fuerat, valetudinem recuperaverit, diuque servare potuerit.

Idem praesenti eorumdem Beatorum patrocinio, feli-

citer obtigit Theresiae Romagnoli, quae quindecim per annos atrocissimis convulsionibus epileptiformibus, a meningite cerebro-spinali ortis, miserum in modum vexata, ubi bene precante sacerdote illorum reliquiis tacta est, non modo convaluit, sed e lecto prosiliens, intermissos iam pridem labores alacris obivit. Die autem proxime secuto, qui fuit XVI Iulii anno MDCCXXIX, cunctis mirantibus, e domo prodiit, Deo atque intercessoribus suis pro tanto beneficio in Ecclesia gratias actura.

Quartum denique miraculum, aliis facile splendidius, quo tantorum virorum causa, veluti iubente numine reviviscere visa est, anno MDCCCLXXXI, e mortis faucibus eripuit Mariam Annam Barsottelli, quae septimum feliciter enixa filium, paullo post ingruente febri puerperali maligna ita iacebat, ut medici omnem salutis afferendae spem abiecissent. Lethale enim virus praecipuas corporis partes non modo invaserat, sed etiam perdiderat. Iam accitus fuerat Fr. Angelicus Lorini, qui moriturae Deo commendaret animam. Tunc mulier, huius hortatu, cum ore non posset, intimo cordis affectu, ad septem Beatorum opem confugit. Quae praesentissima fuit: nam statim aegrota validissimo sese refecit cibo, et robustam, qua numquam usa fuerat, valetudinem adepta est.

De quibus miraculis, cum legitime disceptatum esset penes Consultores SS. Rituum Congregationis, comitia, quae vocant generalia eiusdem Congregationis, coram Nobis coacta sunt pridie kalendas Iunii anno proxime superiori. In quibus cum dilectus Filius Noster Lucidus Ma-

ria Card. Parocchi causae relator proposuisset dubium: *An et de quibus miraculis, post indultam septem Beatis Fundatoribus Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis venerationem, constet in casu, et ad effectum de quo agitur?* maxima animi Nostri laetitia audivimus, cunctos tum Consultores, tum Patres Cardinales unanimiter de quatuor miraculis constare iudicasse.

Verumtamen in re tanti momenti, priusquam suprema auctoritate Nostra decerneremus, adstantes enixe monuimus, ut Nostris preces suas adiungerent ad caelestis consilii munus implorandum. Ea demum die, qua Ecclesia gaudebat in Domino, celebrans festum sub honore sanctorum omnium, sacrosancto sacrificio prius oblato, in pontificiae Vaticanae aedis aula solio assidentes, adstantibus dilectis filiis Nostris Cardinalibus Angelo Bianchi sacrorum Rituum Congregationi Praefecto et Lucido Maria Parocchi causae relatore, una cum dilectis filiis Laurentio Salvati, ipsius sacrae Congregationis Secretario, et Augustino Caprara, sanctae fidei Promotore, solemniter pronunciavimus: *Constare de quatuor miraculis ad collectivam invocationem septem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis a Deo patratis:* nempe de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis octogenariae mulieris Ioannae Lugli ab insanabili caecitate;* de secundo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis Mariae Pulcheriae Monialis professae in monasterio Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis loci ARCUS in Tridentina dioecesi a gastroenterite chronica diuturna ischiadi aliisque morbis com-*

plicata; de tertio: *Instantaneae et perfectae sanationis Theresiae Romagnoli a gravissima meningite cerebro-spinali saevissimis convulsionibus epileptiformibus distincta*; ac de quarto: *Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Annae Barsottelli a maligna et conclamata febri puerperali.*

Quod Decretum, cum iussu Nostro eodem die inter acta sacrae Rituum Congregationis relatum fuisset, iam omnia matura erant, ut sacra Congregatio rogaretur — *An stante approbatione virtutum et quatuor miraculorum, tuto procedi possit ad solemnem septem Beatorum Canonizationem?* Qua de re praedictus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi causae relator apud S. Congregationem egit in Comitiis generalibus coram Nobis coactis XVII kalendas Decembris eodem anno MDCCCLXXXVII, in quibus faventes tum Consultorum, tum Cardinalium sententias libentissimo animo accepimus. Quibus, prouti negotii gravitas postulabat, attente expensis, multaque prece exorato Deo, V kalendas Decembris praedicto anno, prima S. Adventus Dominica, post oblatum sacrum, in palatii Vaticani aula solio assidentes, adstantibus dilectis filiis Nostris Cardinalibus Angelo Bianchi sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et Lucido Maria Parocchi causae relatore, una cum dilectis filiis Laurentio Salvati eiusdem S. Congregationis a Secretis, et Augustino Caprara s. fidei Promotore, decrevimus — *Tuto procedi posse ad solemnem septem Beatorum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis Fundatorum Canonizationem.*

Consistoria secre- His peractis, Praedecessorum Nostrorum exemplis inhae-

rentes, nonis Decembris eodem anno MDCCCLXXXVII S. R. E. Cardinales apud Nos convocavimus in Consistorium secretum. In quo dilectus filius Noster Cardinalis Angelus Bianchi, sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, novensilium Sanctorum acta distincta oratione complexus est, cuncti autem etiam atque etiam ad legitimam praeclarae causae absolutionem Nos hortati sunt, quod magno Ecclesiae decori atque emolumento cessurum esse, uno ore unanimique fiducia testati fuerunt. Deinde x kalendas proxime sequentis Ianuarii publicum Consistorium iussu Nostro coactum fuit, in quo, uti mos est, alter ex Consistorialis aulae Advocatis dilectus filius Hilarius Alibrandi causam peroravit.

tum, publicum et semipublicum ante Canonizationem habita.

Denique, uti rite faciendum erat, litteris a sacra Concilii Congregatione de mandato Nostro missis ad viciniores Episcopos ut ad Urbem se conferrent Nobis consilio adfuturi, et tantam decoraturi solemnitatem, *semipublicum* quod vocant, Consistorium indici iussimus. Quod revera coactum est v idus Ianuarii hoc currente anno. In quod cum Patribus Cardinalibus, Patriarchae, Archiepiscopi atque Episcopi convenerunt, quorum plurimi in Urbe iam aderant, sacerdotale Nobis iubilaeum gratulaturi, quod incredibili cuiusque generis, cuiusque regionis hominum frequentia, contra impiorum expectationem, Deo supra consuetum modum favente, kalendis huius mensis Ianuarii celebravimus.

Porro tum Patres Cardinales, tum Patriarchae, Archiepiscopi atque Episcopi, causa plene cognita, tum ex

iis quae gesta fuerant in memorato Consistorio publico, tum ex actis sacri Consilii ritibus cognoscendis praepositi, quorum exemplaria unicuique eorum tradi iussimus, in sententiam de Canonizatione quam primum perficienda unanimes iverunt. Cuius rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis legitime confecta, in tabularium S. Romanae Ecclesiae relata sunt.

Ad Canonizationem autem celebrandam, diem et locum assignavimus. Dies fuit decimus quintus Ian. MDCCCLXXXVIII, nempe Dominica secunda post Epiphaniam, in qua Sanctissimum Iesu Nomen recolitur. Locus, aula Basilicae Vaticanae pronao insistens, magnificenter atque apparatissime exornata.

Interim postquam fideles hortati fuimus, ut ieiunio ac precibus novensilium Sanctorum patrocinium sibi demererent, assignatis de more Ecclesiis, in quibus illi indulgentias lucrari possent, faustam diem in Domino praestolabamur, illud enixe ab eo rogantes, ut quam primum maiorum solemnitatum pompas tranquille ac libere, Ecclesiae suae votis obsecundante Deo, celebrari liceret.

Die 15 Ianuar. 1888 Domin. II post Epiphan. Canonizatio peragitur in aula Bas. Vatic. pronao insistente, et indulgentiae impertiuntur.

Cum autem praefinita dies advenit, praeeuntibus Romanae Curiae Praesulibus, Proceribus atque Officialibus; subsequentibus Venerabilibus Fratribus Nostris S. Romanae Ecclesiae Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis atque Episcopis, solemni supplicationis ritu, praedictam aulam, arte splendidoque cultu insignem, ingressi sumus. Tunc dilectus filius Noster Cardinalis Angelus Bianchi sacrae Rituum Congregationi Praefectus et Ca-

nonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Philippo Gioazzini Consistorialis aulae Advocato, Nobis preces ac vota detulit sacrorum Antistitum, virorum principum, atque inclyti Servorum Beatae Mariae Virginis Ordinis, ut tandem septem praedictis Beatis fundatoribus, virtute, miraculis ac Domini nostri Iesu Christi imitatione insignibus, Sanctorum honores decerneremus. Cumque iterum ac tertio opportunis iuxta morem interpositis precibus, idem Cardinalis per praedictum Advocatum Consistorialem a Nobis id postulasset; Nos primum Paracliti Spiritus lumine implorato, deinde Beatae Virginis, Caelestium Spirituum et Sanctorum omnium auxilio ferventer invocato, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, ad christianae reipublicae utilitatem atque praesidium, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, matura deliberatione, et Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum consilio, praedictos VII Fundatores Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, nimirum Bonfilium de Monaldis, Bonaiunctam Manetti, Manettum Antellensem, Amideum de Amideis, Uguccionem de Uguccionibus, Sosteneum de Sosteneis, et Alexium de Falconeriis; una cum Petro Claver, sacerdote professo Societatis Iesu Nigritarum Apostolo, Ioanne Berchmans scholastico, et Alphonso Rodriguez coadiutore formato eiusdem Societatis, Sanctorum numero adscripsimus. Decrevimus praeterea

septem Sanctorum Fundatorum memoriam singulis annis celebrari et in romanum Martyrologium referri die decima prima Februarii. Fidelibus autem, qui eo die eorum sacras exuvias venerati fuerint, septem annorum et totidem quadragenarum indulgentiam in perpetuum largiti sumus.

Deinceps omnipotenti Deo incruentum sacrificium oblaturi, ad altare accessimus, ibique post evangelii lectionem, tum Venerabiles Fratres Nostros, tum confertissimam multitudinem allocuti sumus, gestientes in Domino, quod per humilitatem Nostram horum Caelitum gloriam manifestare dignatus sit. Cunctos autem hortati sumus, ut eorumdem patrocinium apud Deum interponerent, ut tandem exurgat et exaudiat orationem nostram, et Nos, universam Ecclesiam, ac religiosos Ordines protegat *a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem* [1].

Denique Apostolicam benedictionem et plenariam admissorum indulgentiam peramanter in Domino impertivimus, litterasque Apostolicas sub plumbo expediri mandavimus.

Christifideles tantorum Virorum exemplis ad virtutem excitantur.

Eia igitur, fideles, magnopere laetamini tantorum Virorum exemplis roborati; supercrescat *fides vestra,* abundet *caritas uniuscuiusque vestrum in invicem* [2], *omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles* [3] expectate et properate in adventum diei Domini.

[1] Ps. 53, 3.
[2] II. Thess. I, 3.
[3] Pet. Ep. I. III, 8.

Tenebricosam autem et pestiferam illam fraternitatem, quam. suadente diabolo, mundus praedicat, quaeque absurdam iurium aequalitatem obtendens, dominium, auctoritatem, dignitatem quamcumque, ipsam etiam Maiestatem abolere contendit, magno animo reiicite atque contemnite. Inde enim, ut vel ipsa recentioris praesertim aetatis historia docemini, rixae, contentiones, privata et publica latrocinia, intestinae civium discordiae, bella, rerumpublicarum eversiones, ac tandem civilis et domesticae societatis interitus proveniant necesse est. Vos autem *crescite in gratia et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi, qui promisit novos caelos et novam terram, in quibus iustitia habitat, cui gloria sit et nunc et in diem aeternitatis* [1].

Ecclesiae denunciatio, et transumptis praesentium fides habenda.

Omnibus itaque quae inspicienda erant perpensis, certa ex scientia et Apostolicae auctoritatis plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus, universaeque catholicae Ecclesiae denunciamus, mandantes ut harum litterarum transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris litteris haberetur, si exhibitae atque ostensae essent.

Sanctio poenalis.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei temerario ausu contraire voluerit, aut attentare praesum-


[1] Petr. Epist. II. III. 18.

pserit, indignationem omnipotentis Dei et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo septimo, * undecimo kalendas Februarii, Pontificatus Nostri anno decimo

* Ex quo Curia Apost. utitur an. ab Incarnat. div. Verbi, qui suum habet initium die 25 Martii, idcirco dicitur 87 ad dictam diem.

EGO LEO CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS



✠ Ego C. Episcopus Ostiensis et Veliternus Card. Sacconi Sac. Collegii Decanus Pro-Datarius.

✠ Ego Ioan. Bapt. Episcopus Portuensis et S. Rufinae Card. Pitra O. S. B.

✠ Ego R. Episcopus Albanensis Card. Monaco La Valletta maior Poenitentiarius.

✠ Ego A. Episcopus Praenestinus Card. Oreglia S. R. E. Camerarius.

✠ Ego A. Episcopus Sabinensis Card. Serafini.

✠ Ego G. tit. S. Callixti Protopresbyter Card. Hohenlohe.

✠ Ego L. tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Bonaparte.

✠ Ego M. tit. S. Mariae in Ara-Coeli Presb. Card. Ledochowski.

✠ Ego Ioan. tit. S. Petri in Vinculis Presb. Card. Simeoni.

✠ Ego L. tit. S. Crucis in Ierusalem Presb. Card. Parocchi.

✠ Ego C. tit. S. Anastasiae Presb. Card. Laurenzi.

✠ Ego A. tit. S. Praxedis Presb. Card. Bianchi.

✠ Ego G. tit. S. Clementis Presb. Card. Sanfelice O. S. B.

✠ Ego Fr. G. tit. SS. Vitalis Gervasii et Protasii Presb. Card. Massaia Ord. Cap.

✠ Ego P. tit. S. Stephani in Monte Caelio Presb. Card. Melchers.

✠ Ego Plac. M.ª tit. SS. Ioannis et Pauli Presb. Card. Schiaffino.

✠ Ego S. tit. S. Sabinae Presb. Card. Vannutelli.

✠ Ego C. tit. S. Thomae in Parione Presb. Card. Aloisi-Masella.

✠ Ego M. tit. S. Caeciliae Presb. Card. Rampolla del Tindaro.

✠ Ego Th. S. Laurentii in Damaso Protodiaconus Card. Mertel Vice-Cancellarius.

✠ Ego Ios. S. Agathae ad Suburram Diac. Card. Pecci.

✠ Ego Ios. S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Hergenroether.

✠ Ego Fr. Th. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Zigliara Ord. Praed.

✠ Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Ricci-Paracciani.

✠ Ego I. S. Caesarei Diac. Card. Masotti.

✠ Ego I. S. Angeli in foro Piscium Diac. Card. Verga.
✠ Ego C. SS. Viti et Modesti Diac. Card. Cristofori.
✠ Ego A. S. Mariae de Scala Diac. Card. Theodoli.
✠ Ego C. S. Adriani Diac. Card. Mazzella S. I.
✠ Ego A. S. Mariae ad Martyres Diac. Card. Pallotti.
✠ Ego Fr. Aug. S. Mariae in Domnica Diac. Card. Bausa Ord. Praed.

C. Card. SACCONI Pro-Dat. - M. Card. LEDOCHOWSKI

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cugnonius

LITTERAE APOSTOLICAE

DE CANONIZATIONE BEATI PETRI CLAVER.

—

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Divinum Domini Nostri Iesu Christi opus, Ecclesia, ineffabili Spiritus Sancti virtute informatur atque alitur; de qua Apostolus [1]: *Divisiones vero gratiarum sunt.... Et divisiones ministrationum.... Et divisiones operationum.... Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus.* Nam *posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.* Prooemium

Etsi autem Apostolatus honor reliquas *gratias, ministrationes* atque *operationes* suo iure sibi vindicet, primo proinde loco positus, et ad eos maxime pertineat qui plantaverunt Ecclesiam sanguine suo, tamen iis etiam merito defertur, qui eorumdem opus prosequuti, per singulas

[1] I. Ad Corinth. XII.

aetates, doctrinae exemplo, atque etiam morte praeclare obita, vel divinum lumen attulerunt miseris qui in tenebris et umbra mortis iacent, vel Ecclesiae iura et libertatem contra christiani nominis osores fortiter defenderunt.

S. Petrus Claver ortus est in oppido Verdunensi in Catalaunia an. 1580.

Quos inter, amplissimo dignitatis loco, proximus S. Francisco Xaverio sodali suo, eminet Petrus Claver, qui dona a Spiritu Sancto accepta, catholicae religionis incremento et gloriae summa caritate profudit, *his honorem abundantiorem circumdans,* qui putabantur *ignobiliora membra esse corporis* [1]. Natus est autem in oppido Verdunensi in Catalaunia, et baptizatus die vicesima sexta Iunii anno MDLXXX. Parentes habuit Petrum, et Annam Corberò religione potissimum ac morum integritate spectatissimos. Hi puerum singulari cura educarunt, ex quo praesertim non dubiis post exactum infantiae tempus argumentis intellexerunt sanctum a se educari. Id enim optima ac suavissima indoles, id summa verecundia ac morum gravitas, id praecipue in res caelestes mira ac procul dubio divinitus indita propensio portendebant.

Clericali militiae tonsura initiatur an. 1595, et Societ. Iesu an. 1602 ingreditur.

Adolescentulus a patruo cathedralis Celsonensis Ecclesiae Canonico, grammaticae notionibus instructus, clericali tonsura a Vicensi Episcopo insignitus fuit die octava Decembris anno MDXCV. Inde coepit impensius vel innocua mundi vitare solatia, ut ea tantum quaereret quae Dei sunt, et orationi liberius instaret. Postea Barcinonem a patre missus ut litteris operam daret, ibi earum curriculum cum sin-

[1] Ibid. v. 23.

gulari ingenii laude emensus est, christianarumque virtutum, sub disciplina patrum Societatis Iesu, multa et prorsus praeclara edidit specimina. Ipsam autem Iesu Societatem quam a puero optaverat, iniit die septima Augusti anno MDCII.

Qualem se in tirocinio Petrus praebuerit, universa causae acta testantur: nimirum non ad discendam, sed ad docendam regularum observantiam venisse, cunctis, etiam provectioribus, sanctus adolescens visus est. Quamobrem ad eius exemplum se reliquos tirones conformare ipsi iubebant praesides, in hoc unice intenti, ne ille nimio fervore abreptus, precatione plus aequo producta, aut ieiuniis et cruentis verberationibus noceret valetudini. Biennio tirocinii exacto, simplicia vota nuncupavit anno MDCIV: deinceps, postquam Gerundae aliquot mensibus moratus esset, philosophiae operam daturus Maioricam petiit.

S. Alphonsum Rodriguez sodalem nactus Claverius, illius consortio fruitur, et illo divinitus hortante ad Neogranatense Regnum destinatur an. 1610.

Ibi Beatum Alphonsum Rodriguez sodalem nactus, non sine divino instinctu ab antistite petiit, ut eius congressu et colloquio sibi frui liceret; ex quo eos pietatis fructus hausit Petrus, qui apprime cohaererent supernae habitae ab Alphonso revelationi: nam Claverium, discipulum suum, praecipuam in caelis ac splendidissimam occupaturum esse sedem, extra se raptus cernere sibi visus est. Cum autem a Patre luminum postulasset quaenam tantae mercedis tantaque esset causa gloriae, hoc obtinuit responsum: nimirum illud sibi Claverium meruisse praemium, tum virtutibus hactenus ad exemplum exercitis, tum illis quas in Americae regionibus, maximo infelicissimorum hominum, illuc per summum nefas deportatorum, bono exerciturus fuisset.

Hac accepta visione, Alphonsus totus in id viribus incubuit, ut Petro iter ad eas regiones suaderet, quod tamen iste ad annum MDCX differre debuit, cum P. Claudius Aquaviva, supremus universi Ordinis moderator, inter egregios milites ad Neogranatense regnum profecturos Petrum censuit, etsi nondum sacerdotio initiatum.

Quanta animi laetitia nuntium hoc ille acceperit, quisque ex vehementissimo eius desiderio animos Christo lucrifaciendi facile coniicere potest. Quamobrem sodalibus suis, atque in primis Praeposito non sine lacrimis salutato, in viam se dedit mense Aprili anno praedicto, ac post longam navigationem Carthagenam, seu Carthaginem novam, ad oram maris Atlantici appulit eodem anno.

Urbs haec inter principes Americae meridionalis civitates floret, opportunissimo succincta portu, quo Indiarum (quas occidentales hodieque vocant) mercatores confluebant, suas vendituri merces, ac praesertim Nigritas ex Africa abductos, qui minimo empti, ac plurimo venditi ad durissima quaeque opera, sive sub terra fodinis, sive ad fervidi solis aestum campis, nulla nedum christianae caritatis, sed neque humanitatis ratione habita, addicebantur.

Sex et quadraginta annos Carthagenae usque ad obitum mansit: merito Nigritarum Apostolus appellatur.

Miserrimos istos homines, plerumque animi ac corporis pravitate horribiles, ingentique contra tortores suos odio affectos, Claverius noster, decessorum suorum longe praetergressus exempla, tanta caritate complexus est, ut illorum Apostolus ac parens merito praedicetur. Apostolicum autem munus triennio post aggressus est, cum Carthagenam rediit ex urbe quam a *Sancta Fide* vocant,

ubi, expleto theologiae curriculo, sacerdotio auctus est die decima nona Martii anno MDCXVI. Carthagenae autem, postquam eo rediit, usque ad obitum, nempe sex et quadraginta annos mansit Nigritis convertendis, atque in catholica fide excolendis praecipue intentus. Qua in re quantum virtute atque incredibili rerum gestarum tum arduitate tum amplitudine praestiterit, vix dici potest. Illud adnotasse sufficiat, hominum eius generis tercentum millia eoque amplius sua manu sacro Baptismate abluisse, ac deinceps tum exemplo, tum concionibus, tum assidua atque accurata Sacramentorum administratione non modo eos retinuisse in fide, sed ad eam diligendam suavissime impulisse. Nec interdum, ut opus erat, minis atque poenis pepercit, Apostolum secutus qui in prima ad Corinthios inquit: *In virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?* [1] et ad Titum: *Increpa illos dure* [2]. Quod faciendum esse tum doctrinis tum perpetuis exemplis confirmavit Ecclesia contra haereticos et tenebriones, qui licentia atque impunitate hominum mores corrumpere, et religionem, ideoque societatem, delere nituntur.

Quo factum est ut Nigritis Petri severitas perinde profuerit atque amabilitas, eumque utroque ex capite illi dilexerint ac venerati sint. Accedebat ad viri auctoritatem augendam non modo virtutum omnium cumulus, sed etiam tanta supernorum charismatum copia, quanta paucis etiam Sanctis obtigit. Quis enim incliti viri miracula numeret?

[1] IV. 21.
[2] I. 13.

quis vaticinia, raptus, et supernum corpori saepissime circumfusum lumen, sive Sacrum offerret, sive concionaretur, sive denique purulenta Nigritarum vulnera delingeret? Huc enim usque sanctissimum virum, Christi ac proximorum caritas, nec non mirabile poenitentiae studium, non semel atque iterum, quod in vitis Sanctorum miramur, sed saepissime impulerunt.

Etsi autem praecipuam Nigritarum curam gereret, Carthagenenses adeo non neglexit, ut illorum etiam Apostolus merito nuncupetur. Innumera ac magna eis a Petro collata beneficia, longum satis esset persequi: illa breviter complectemur asserendo, quod ceteroquin ex actis causae luculentissime ostenditur, tantum de Carthagenensibus illum meruisse, quantum de Romanis meruerat Philippus Nerius.

Viro insigni S. Francisco Xaverio sodali suo, iure comparatur.

Nec minus meruit de haereticis ac mahumetanis, qui Carthagenam, frequentissimum, uti diximus, portum, vel commercii causa appellebant, vel captivi transportabantur. Istorum hominum, etiam inter primarios, plurimos Christo lucrifecit, nec semel illorum obstinationem sola praesentia vicit.

Quae cum ita sint, Nobis non immerito videmur insignem istum virum cum Francisco Xaverio, rerum gestarum tum amplitudine tum arduitate, comparasse. Nec longo ab eo distat intervallo sive rigidissima poenitentia, sive intima cum Deo iugiter servata unione. Cibo enim fere abstinuit, itemque somno: nam solidas fere noctes, cruentis etiam verberationibus adhibitis, inter orandum

extrahere, ac summo mane Apostolicos labores non sine miraculo integer alacrisque repetere consuevit.

Virtutes, atque sui abnegatio, vitaeque innocentia laudantur.

Vitae autem innocentia perfectissimaque regularum sui Ordinis observantia, Petrum cum sancto Ioanne Berchmans comparare quis dubitaverit, qui sciat illum ideo tam rigide afflixisse corpus, ut pravarum cupiditatum impetus non modo retunderet, sed etiam extingueret? qui sciat nullum ex tot gloriosissimis operibus eumdem suscepisse, nisi antea detecto capite ac devotissime eorum obeundorum veniam a Superioribus exorasset? Quod facere etiam perseveravit senior, cum cuncti qui Carthagenam frequentabant, proceres, cives, incolae atque etiam barbari, illum veluti sapientiae oraculum, et quoddam quasi virtutis domicilium suspicerent atque admirarentur.

Sed iam postremum vitae stadium gloriosus heros ingreditur. Anno MDCL, qui ob iubilaeum indictum sacer fuit, Petrus nihil fractis viribus, nihil pestilentia quae late grassabatur commotus, non modo apostolicis laboribus sese impensius dedidit, sed etiam poenitentiae, ut caelestem deprecaretur iram. Correptus peste, ea minime consumptus est, sed ita mulctatus, ut quatuor per annos plurimis atrocissimisque morbis obnoxius fuerit.

Quos summa patientia toleravit in desertissima solitudine. Cuncti enim, calamitosissimo eo tempore, vel aegrotabant, vel sibi suisque cavebant: sodales autem, si qui morbum non contraxerant, aegrotantibus aderant. Quamobrem Nigritae cuiusdam, hominis pessimi atque atrocissimi, curae relictus, non modo inediam passus est, sed etiam iniurias, contumelias ac percussiones.

Passus est autem libentissime, Christum crucifixum ac Deiparam perdolentem intuens, sibique gratulans, quod eis similis effectus certissimum caelestis gloriae pignus possideret.

Interim, cum Sacrum prae virium debilitate facere non posset, saepissime caelesti se dape reficiebat: quotidie autem uberrimis cum lacrimis conscientiam expiabat. Quoad autem potuit, in ecclesiam transportatus, fidelium confessiones excepit, et Nigritarum saluti procurandae operam navavit.

Quamobrem cum accepisset horum plurimos omnis fere humanitatis ac religionis expertes, quibus nomen erat *Ararai*, Carthagenam appulisse, dolorum suorum fere oblitus ac laetitia plenus, ad eos se deducendum curavit. Qui cum adspexissent hominem, divino instinctu flexis genibus illum venerati sunt.

Paulo post, nempe die vicesima secunda Augusti, anno MDCLIV, ab Hispania Carthagenam advectus est P. Didacus Ramirez Apostolico in munere Petro successurus, qui cum eius adventum novit, laetitia gestiit. Nigritis enim, quorum se servum profitebatur, quosque praecipua caritate diligebat, optime tanti viri industria consultum iri existimabat: ex successoris autem adventu coniectavit, proxime gloriosam illam sedem in caelo se adepturum, quam olim sanctus Alphonsus praeviderat, illustres ob triumphos in Indiis ad maiorem Dei gloriam de infidelibus atque haereticis feliciter reportandos.

Die Nativ. B. M.V. Quoniam vero magni istius viri mentio iterum inci-

dit, haud inopportunum est notare, divina bonitate factum esse, ut eius vita typis impressa cum simillima effigie ad Petrum paullo antequam moreretur, pervenerit. Quam ut ille adspexit, obortis lacrimis suaviter exclamavit, nihil sibi amplius superesse quod in terris optaret, iam ad caelum recta tendendum esse. Caelum autem ingressus est, iuxta quae praedixerat, die octava Septembris, Beatissimae Virginis Nativitati sacra, anno MDCLIV.

8 Septemb. 1654 praenunciata, sanctissime obiit.

Quantum tali obitu non modo Carthagena, sed etiam urbes finitimae, et Hispaniae regiones, quum eo funestum nuncium pervenit, commotae fuerint, vix dici potest. Ad cadaver adspectu pulcherrimum, tractabile ac iucundissime olens, miri civium ex omni ordine concursus: accitique milites, ut turbae ad tumultum nimio studio pronae coercerentur.

Porro, cum Collegii Rector modestis, ut fert Societatis Iesu mos, exequiis Petrum honorare statuisset, ei vehementissime obstiterunt tum Praefectus urbis cum Consiliariis, tum proceres universi, quibus Sancti viri funus prope regia pompa celebrare aequum visum est. Adstiterunt autem Praefectus atque aulici, pullis induti vestibus: Senatorius ordo, Clerus, religiosi Ordines, Inquisitores. Nec suo defuit officio Nigritarum universitas, quae solemni pompa ac magno sumptu tanto benefactori iusta funebria solvit.

Tanto benefactori quasi regia pompa persolvunt iusta funebria tum Praefectus Urbis tum Ordines cuncti Civium, et Nigritarum universitas.

Deinceps de virtutum ac miraculorum fama conditi sunt Carthagenae processus ordinarii; cunctisque absolutis quae causae introducendae, iure sacro iubente, praecedere debent, die prima Augusti anno MDCXCIV in sacra

De virtutum ac miraculorum fama processus ordinaria auctoritate eduntur, a Sede Apostolica probantur, atque de illis constare decernitur.

Rituum Congregatione, discusso dubio super *admissione et signatura commissionis introductionis causae*, eadem Congregatio affirmative respondit, *si Sanctissimo placuerit.* Sequenti autem die vicesima prima praedecessor Noster Innocentius XII propria manu commissionem signavit. Ac die tertia Octobris anno MDCXCVIII datae sunt ad Episcopum Carthagenensem litterae *remissoriales* ad processus Apostolica auctoritate instituendos, quibus rite probatis, ac scriptis examinatis, tandem de heroico virtutum gradu disceptari potuit. Legitimo eorum examine confecto, praedecessor Noster Benedictus XIV die vicesima quarta Septembris anno MDCCXLVII, post celebratum Sacrum, et consecrationis episcopalis munus Cardinali delle Lanze solemniter collatum, Secretario S. Rituum Congregationis hoc manu sua subscriptum tradidit Decretum: « *Constare videlicet de virtutibus theologalibus, fide, spe, et charitate erga Deum et proximum, et de cardinalibus, prudentia, iustitia, fortitudine, et temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur* ».

Longum post temporis intervallum, de miraculis agi coeptum est; super quibus generalis S. Rituum Congregatio a Cardinali Constantino Patrizi, causae relatore, rogata est, XI kalendas Septembris anno MDCCCXLVIII, *an de iis, ad effectum de quo agebatur, in casu constaret?* Cui dubio tum Patres Cardinales, tum Consultores *affirmative* respondendum censuerunt.

Quamobrem, gloriosae memoriae praedecessor Noster Pius IX, eodem mense, Dominica IX post Pentecosten,

Sacro peracto in templo S. Pantaleonis Martyris, ubi S. Iosephi Calasanctii festum celebrabatur, adstantibus Cardinalibus Aloisio Lambruschini sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et Constantino Patrizi causae relatore, nec non Andrea Maria Frattini s. Fidei promotore, et Gaspare Fatati S. R. Congregationis Secretario, solemniter pronunciavit « *Constare de duobus miraculis tertii generis a Deo patratis invocato ven. Petri Claver auxilio* »; scilicet de primo: *Subitae perfectaeque sanationis puellae Mariae de Torres ab inveterato aneurysmate a laesa dexteri brachii in mittendo sanguine arteria ad magnum tumorem distento* »; de altero: « *Instantaneae perfectaeque sanationis Michaelae Garzia de Saavedra, tertio gestationis mense ad extremum perductae a metritite, seu uteri inflammatione, lethalibus stipata symptomatibus* ». Decretum eiusmodi publici iuris factum est VI kalendas Septembris eodem anno.

Tristissimis rerum publicarum vicibus accidit ut generalia S. Congregationis Comitia ad agitandum dubium « *an Tuto procedi posset ad venerabilis Petri Claver Beatificationem* », nonnisi biennio post cogi potuerint, nimirum anno MDCCCL. Quibus Summus Pontifex Pius IX praefuit, auditisque tum Cardinalibus tum Consultoribus, affirmativam sententiam libentissime proferentibus, tandem divini consilii lumine implorato, Dominica Sanctissimae Trinitatis recurrente, in sacello maximo, quod a Sixto Papa IV nuncupatur, solemniter decrevit: *Tuto procedi posse ad ven. Petri Claver supradicti Beatificationem*, litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione in Vaticana Basi-

lica suo tempore peragenda edi mandavit. Quod Decretum in acta S. Congregationis relatum est septimo kalendas Iunii praedicto anno.

Inter Beatos adnumerat Petrum Claver Soc. Iesu Sum. Pontif. Pius IX.

Porro, beatificationis solemniis magnifica pompa in Vaticano templo celebratis die vicesima prima Septembris anno MDCCCLI, novorum miraculorum Beati Petri intercessione patratorum fama nunciata est. Quamobrem pridie kalendas Octobris anno proxime secuto causae *reassumptio,* ad effectum Canonizationis, Apostolica auctoritate decreta est, et data facultas Metropolitanis Philadelphiensi et Milwaukiensi legitimos super duobus miraculis processus instituendi.

Quibus confectis ac probatis, causa siluit usque ad annum MDCCCLXXXV, quo tempore, cunctis quae iure peragenda erant, rite confectis, et aliquot, quae ad celeriorem rei progressum necessaria visa sunt, Apostolica Nostra auctoritate concessis, propositorum miraculorum felici disceptationi parata fuit via.

Duo miracula afferuntur approbata, ad effectum Canonizationis eiusdem Beati.

Horum miraculorum primum obtigit cuidam Barbarae Dressen, quae ex Germania, quam patriam nacta erat, Milwaukiam in America septentrionali, meliorem quaesitura sortem, perrexerat. Ibi usque ad annum MDCCCL aetatis suae septuagesimum, optima valetudine usa erat, cum in dextera maxilla verruca quaedam apparuit, teterrimum mox secuturi morbi non dubium indicium. Cancrum enim inde proventurum medici iudicarunt; quam coniecturam tum acerrimi ex verruca statim creati dolores, tum eiusdem horribilis exulceratio confirmarunt. Cum

autem medici, nullum humanum remedium ei morbo adhiberi posse, confirmarent, Barbara ad Beatum Petrum Claver, miraculorum celebritate etiam eo loci insignem, confugit. Nec frustra: nam, Petri tacta reliquiis, levamen aliquod experta est.

Verumtamen paullo post morbus ita saeviit, ut Barbarae cuncti misererentur, qui tetrum ac fere penitus vastatae maxillae adspectum, et noxiam foetidamque graveolentiam ferre vix poterant.

Barbara autem animo non despondit, ac Patrono suo sese usque commendabat certa fiducia nixa, fore ut, illo intercessore, sanitatem tandem aliquando obtineret. Nec fiduciam fefellit eventus: nam anno MDCCCLXI, post inceptum morbum decimo, iterum, Beati Petri reliquiis tacta, omnino convaluit, ac dextera maxilla, antea saucia ac immani depascente vulnere deformis, cunctis mirantibus, extemplo non modo sana, sed supra mulieris aetatem integra ac florida apparuit.

Perinde autem, ac fortasse magis, mirari debemus Ignatii Streker sanationem. Iste etiam natione Germanus in Americam migraverat, ut victum labore suo sibi compararet. Qui anno MDCCCLXI, cum saponarius esset in urbe cui nomen est a Sancto Ludovico, dum artificio suo operam daret, in ferrum ita pectore impegit, ut brevi, ex percussione illa *sternum* laesum esse apparuerit. E sterno malum ad costas propagatum est; deinde ad pulmones, quod tussis violenta aliaqua indicia apertissima innuebant. Hinc alta et diffusa sterni carie ac pulmonum vitio cun-

cti qui illum inviserunt medici, affectum existimarunt, de eius salute desperantes.

Interim uxor Ignatium, ut sese Beato Petro commendaret, vehementer, tum precibus tum exemplis mirabilium ac recentium eventuum, .hortata est. Quod cum aegrotus libenter executus esset, ac conclamata iam valetudine et gradiendi fere impos, sese contulisset in templum, quo aegroti atque afflicti, adhibitis Beati Petri reliquiis, uberrimo cum fructu confluebant, illico earumdem reliquiarum attactu ita recreari sibi visus est, ut omnino sanus gravissimos labores statim ulla sine molestia obiverit, in iisque plures per annos optima valetudine alacrisque perseveraverit.

His de miraculis semel atque iterum disputatum est apud S. Rituum Congregationis Consultores, audientibus de more in coetu praeparatorio Cardinalibus eidem Congregationi praepositis: deinde in comitiis generalibus coactis coram Nobis v Idus Augusti anno MDCCCLXXXVII, ubi tum Cardinales, tum Consultores, sua edidere suffragia. Quibus studioso animo attentis, Nos illud restare ediximus, ut humillimae Deo funderentur preces ad definitivam sententiam praeparandam. Tandem kalendis Novembris praedicto anno, die Sanctorum Omnium memoriae sacro, oblata prius salutari Hostia, in nobiliore pontificiae aedis Vaticanae aula, adstantibus dilectis filiis Nostris Cardinalibus Angelo Bianchi sacrae Rituum Congregationi Praefecto, et Miecislao Ledochowski causae relatore, una cum dilectis filiis Augustino Caprara s. fidei

promotore et Laurentio Salvati sacrae eiusdem Congregationis a Secretis, pronunciavimus « *Constare de duobus miraculis, intercessore Beato Petro Claver a Deo patratis;* scilicet de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Barbarae Dressen, mulieris octogenariae, ab inveterato Cancro epitheliali in dextera maxilla;* ac de secundo: *Subitae perfectaeque sanationis Ignatii Streker a carie sterni et costarum thoracis sinistri gravissimo pulmonum vitio coniuncta* ». Quod Decretum eadem die editum est.

Porro, quod ex praescripto sacri iuris agendum supererat, XVII kalendas Decembris eodem anno, coacta iterum sunt generalia S. Rituum Congregationis comitia, in quibus cum praedictus Card. Miecislaus Ledochowski *dubium* proposuisset « *An stante approbatione duorum miraculorum, post indultam venerationem, tuto procedi possit ad solemnem Beati Petri Claver Canonizationem* », quotquot aderant, tum Cardinales, tum Consultores, audientibus Nobis, uno ore responderunt « *Tuto procedi posse* ».

Quamobrem, re mature expensa, atque iterum caelesti lumine implorato, V kalendas praedicti mensis, prima Dominica S. Adventus, post oblatum Sacrum, in eadem pontificia aula, praefatis Cardinalibus ac S. Congregationis officialibus adstantibus, ediximus « *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Petri Claver Canonizationem* ».

Consistoria, secretum, publicum et semipublicum, habita, Christifideles ad publicas preces cum Indulgentiis lucrandis excitantur.

Dein Nonis Decembris eodem anno MDCCCLXXXVII S. R. E. Cardinales in *secretum* Consistorium collegimus, ibique dilectus filius Noster Card. Angelus Bianchi S. Rituum Congregationi Praefectus, novensilium Sanctorum

gesta singillatim ac perspicue exposuit, magnoque omnes studio incendit, ut tantorum heroum memoria summis honoribus consecraretur.

Paullo post, nempe x kalendas Ianuarii eodem anno MDCCCLXXXVII, *publicum* Consistorium habitum fuit, in quo Cardinales audito prius, uti mos est, dilecto filio Philippo Gioazzini Consistorialis aulae advocato, unanimiter placere sibi declararunt, ut invicto Apostolo Sanctorum coronam imponeremus.

Amplissimi Senatus scito, catholici orbis Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi quamplurimi una cum Cardinalium Collegio, a Nobis convocati in Consistorium quod vocant *semipublicum* habitum v Idus Ianuarii currente anno MDCCCLXXXVIII, plaudentes accesserunt, causa plene cognita tum ex iis quae gesta fuerant in memorato Consistorio publico, tum ex monumentis sacri Consilii Ritibus tuendis praepositi, quorum exemplar unicuique eorum exhiberi iussimus. Cuius rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis confecta in tabulario S. Romanae Ecclesiae asservari mandavimus. Deinde praefinita Canonizationis celebrandae die, nempe decimaquinta mensis Ianuarii currente anno MDCCCLXXXVIII, sancto et terribili nomini Iesu Salvatoris Nostri sacra, fideles cunctos hortati sumus ut ieiunio ac precibus sese ad illam compararent, atque Ecclesias designavimus in quibus copia erat Indulgentias lucrandi.

Die 15 Ianuarii 1888 Sum. Pontif. Leo XIII solemni ri-

Cum autem faustissima dies illuxit, romanae curiae Praesulibus, Officialibus, ac Proceribus, et amplissimo

Cardinalium Senatu, cum Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, solemni supplicationis ritu comitantibus, Nos aulam Basilicae Vaticanae pronao superstructam, ad instar templi munificenter ornatam, ingressi sumus. Tunc dilectus filius Noster Card. Angelus Bianchi S. Rituum Congregationi Praefectus, et Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Philippo Gioazzini S. Consistorialis aulae advocato, Nobis vota detulit virorum principum, sacrorum Antistitum, universaeque Societatis Iesu, ut Beatum Petrum Claver sacerdotem professum dictae Societatis, virum gestis, virtutibus ac miraculis insignem, Sanctorum Caelitum numero accenseremus, una cum septem Beatis fundatoribus Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, nec non Beatis Ioanne Berchmans scholastico et Alphonso Rodriguez coadiutore formato praedictae Societatis. Cumque iisdem precibus iterum ac tertio idem Cardinalis per memoratum S. Consistorialis aulae advocatum Nos exorasset ut optatam faustamque certo futuram sententiam ederemus, implorato prius Spiritus Paracliti lumine, deinceps Beatae Virginis Immaculatae, caelestium Spirituum ac Sanctorum omnium praesidio invocato, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, matura deliberatione et Ven. Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, praedictum Beatum Petrum Claver

tu Canonizationem S. Petri Claver Nigrit. Ap. et Sacrum peragit in aula Basil. Vat. pronao superstructa.

Nigritarum Apostolum, una cum supra memoratis septem Beatis fundatoribus Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, nec non Beatis Ioanne Berchmans scholastico, et Alphonso Rodriguez coadiutore formato praefatae Societatis, inter Sanctos censeri iussimus. Decrevimus porro S. Petri Claver memoriam quotannis die IX Septembris celebrandam esse, et in romanum Martyrologium referendam; ac omnibus christifidelibus, qui illius exuvias eo die venerati fuerint, Indulgentiam septem annorum, totidemque quadragenarum in perpetuum largiti fuimus.

Gratiis deinde omnipotenti Deo actis, ad aram accessimus incruentum sacrificium oblaturi, ac peracta evangelii lectione, quotquot aderant allocuti sumus, eosdem hortantes ut de tanta solemnitate gauderent in Domino, fructusque quam uberrimos caperent. Denique Apostolicam benedictionem et plenariam admissorum indulgentiam peramanter in Domino impertivimus, litterasque Apostolicas sub plumbo expediri mandavimus.

Fideles adhortatur Summus Pontifex ut SSmi herois exemplo exardescant in suis cordibus amore Iesu Christi.

Praeclara sanctissimi Herois memoria, his litteris consecrata, vigeat in animis vestris, fideles, eamque colite ut Iesu Christi amor exardescat in vestris cordibus; *et expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creavit illum: ubi non est Gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus* [1].

[1] Coloss. III.

Hoc divinae caritatis praeceptum, unde vera libertas proficuusque ad vitam aeternam progressus dimanat, Apostoli Martyresque secuti, Domini nostri Iesu Christi regnum propagarunt, *qui redemit nos Deo in sanguine suo ex omni tribu et lingua et populo et natione* [1], *et datus est in foedus populi, in lucem gentium; ut aperiret oculos caecorum, et educeret de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris* [2].

Etsi autem pauci Apostolicam vocationem sortiantur, ad cunctos tamen hoc divinae caritatis praeceptum pertinet. Cuncti enim vel precibus, vel opibus, vel auctoritate christianae fidei propagandae studere debent, ideoque ea instituta, societates, atque opera promovere, quae vel Apostolicae Sedis providentia vel devota pietate fidelium invecta eo spectant, ut infidelibus ac caecis lumen veritatis et gratiae praesidium afferatur.

Diligite ergo, carissimi, diligite, praesertim Romani qui hoc nomine ab Apostolo commendati estis, fidem vestram, et Sanctum Petrum apud Deum interponite, ut intestini christiani nominis hostes, qui inter alia sua impia facinora mirabile illud praedecessorum Nostrorum opus de *Propaganda Fide* nuncupatum, suo arbitrio ac libidini obnoxium facere ausi sunt, humilientur sub potenti manu Dei, et convertantur.

Universae Ecclesiae denunciatio, et fides transumptis habenda.

Praemissa omnia iterum auctoritate Nostra confirmamus ac roboramus, mandantes ut praesentium litterarum

[1] Apoc. v. 9.

[2] Isai. XLII. 6, 7.

transumptis sive exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur ab omnibus, quae hisce ipsis Nostris litteris haberetur, si exhibitae atque ostensae forent.


Sanctio poenalis.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis ac voluntatis infringere; si quis autem temerario ausu contraire praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

* Ex quo Curia Apost. utitur an. ab Incarnat. div. Verbi, qui suum habet initium die 25 Martii; idcirco dicitur 87 ad dictam diem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo septimo, * undecimo kalendas Februarii, Pontificatus Nostri anno decimo.

EGO· LEO CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS



✠ Ego C. Episcopus Ostiensis et Veliternus Card. Sacconi Sac. Collegii Decanus Pro-Datarius.

✠ Ego Ioan. Bapt. Episcopus Portuensis et S. Rufinae Card. Pitra O. S. B.

✠ Ego R. Episcopus Albanensis Card. Monaco La Valletta maior Poenitentiarius.

✠ Ego A. Episcopus Praenestinus Card. Oreglia S. R. E. Camerarius.

✠ Ego A. Episcopus Sabinensis Card. Serafini.

✠ Ego G. tit. S. Callixti Protopresbyter Card. Hohenlohe.

✠ Ego L. tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Bonaparte.

✠ Ego M. tit. S. Mariae in Ara-Coeli Presb. Card. Ledochowski.

✠ Ego Ioan. tit. S. Petri in Vinculis Presb. Card. Simeoni.

✠ Ego L. tit. S. Crucis in Ierusalem Presb. Card. Parocchi.

✠ Ego C. tit. S. Anastasiae Presb. Card. Laurenzi.

✠ Ego A. tit. S. Praxedis Presb. Card. Bianchi.

✠ Ego G. tit. S. Clementis Presb. Card. Sanfelice O. S. B.

✠ Ego Fr. G. tit. SS. Vitalis Gervasii et Protasii Presb. Card. Massaia Ord. Cap.

✠ Ego P. tit. S. Stephani in Monte Caelio Presb. Card. Melchers.

✠ Ego Plac. M.ª tit. SS. Ioannis et Pauli Presb. Card. Schiaffino.

✠ Ego S. tit. S. Sabinae Presb. Card. Vannutelli.

✠ Ego C. tit. S. Thomae in Parione Presb. Card. Aloisi-Masella.

✠ Ego M. tit. S. Caeciliae Presb. Card. Rampolla del Tindaro.

✠ Ego Th. S. Laurentii in Damaso Protodiaconus Card. Mertel Vice-Cancellarius.

✠ Ego Ios. S. Agathae ad Suburram Diac. Card. Pecci.

✠ Ego Ios. S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Hergenroether.

✠ Ego Fr. Th. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Zigliara Ord. Praed.

✠ Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Ricci-Paracciani.

✠ Ego I. S. Caesarei Diac. Card. Masotti.

✠ Ego I. S. Angeli in foro Piscium Diac. Card. Verga.

✠ Ego C. SS. Viti et Modesti Diac. Card. Cristofori.

✠ Ego A. S. Mariae de Scala Diac. Card. Theodoli.

✠ Ego C. S. Adriani Diac. Card. Mazzella S. I.

✠ Ego A. S. Mariae ad Martyres Diac. Card. Pallotti.

✠ Ego Fr. Aug. S. Mariae in Domnica Diac. Card. Bausa Ord. Praed.

C. Card. SACCONI Pro-Dat. – M. Card. LEDOCHOWSKI

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ *Plumbi*

Reg. in Secret. Brevium

I. Cugnonius

LITTERAE APOSTOLICAE

DE CANONIZATIONE BEATI IOANNIS BERCHMANS.

—

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Prooemium

Angelorum et Sanctorum mansiones ac munia dum mirifice describit Ioannes in Apocalypsi, ibi [1] dulcissima animos suavitate perfundit, ubi *supra montem Sion videt Agnum, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, et nomen Patris eius scriptum in frontibus suis . . . Et cantabant quasi canticum novum , . . . et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocumque ierit . . . . Hi empti sunt ex hominibus primitiae Deo et Agno. Et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei.*

[1] Cap. XIV.

Eiusmodi inter primitias Ecclesia consecrare iam gaudet Ioannem Berchmans, qui Aloisium Gonzagam et Stanislaum Kostkam tam feliciter aemulatus est, ut merito dubites quonam ex tribus praestantissimis alumnis inclyta Iesu Societas gaudeat magis ac sibi gratulari debeat. Illud autem certum est, Ioannem imitabiliori modo illorum in se ipso reddidisse virtutes: quamobrem nihil, specie tenus, extraordinarium aggressus, summam perfectionem attigit. Quo exemplo homines non modo ad sanctitatem colendam, sed etiam ad eam assequendam mirifice excitavit.

S. Ioannis Berchmans ortus et pueritia.

Ioannes autem Diestemii in Brabantia natus est die decimatertia Maii anno MDXCIX. Parentes nactus est Ioannem et Elisabeth Van den Hove, rei familiaris tenuitate aliquantulum pressos, at non modo bene moratos, sed etiam insigniter pios; dignos idcirco quibus tantum caelestis benevolentiae pignus obveniret.

Primo rationis diluculo talem se praebuit, quales esse solent, quibus Deus optimus maximus in tenera aetate maturae sanctitatis gratiam largitur. Nihil in eo notatum est quod incompositae illius ac petulantis aetatulae inscitiam temeritatemque redoleret. Vix septennis summo mane surgebat ut ecclesiam peteret, ibique duobus vel tribus Sacris intererat, et plerumque, quod maxime optabat, sacerdoti rem divinam peragenti ministrabat. Sacerdotes autem adeo verebatur, ut nunquam operto capite illos adiverit ac sit allocutus.

In scholam admissus ut grammaticam addisceret, usque adeo profecit, ut ipsi praeceptori admirationi fuerit, non

modo virtutum exemplo, sed etiam ingenii celeritate. Quamobrem cum alii in disciplinam traditus est puer, optimus ille magister praecipuum sibi vitae solatium ac scholae decus ereptum querebatur.

Traditus est autem a patre, Petro Emmerico, canonico regulari Praemonstratensi et parocho S. Mariae Diestemii, apud quem tres annos moratus est in ephebeo quod ille instituerat. Huc undecimo aetatis anno ingressus, inferioris litteraturae curriculum magna cum laude emensus est: magister vero sic eum diligebat, quemadmodum parentes filium. Interim tempus instabat, ut Ioannes sancta de altari libaret: quod teste institutore tam pie ac devote ille peregit, ut omnes uno ore fassi sint, angelum potius quam hominem Christo vesci visum esse. Quod toties accidit, quoties deinceps, idque haud infrequenter, tanto sacramento ille usus est.

Haec de Ioanne adhuc puero. Adolescentulus, uti par erat, easdem virtutes perfectius exercuit. Deiparam, quam a teneris unguiculis sibi tamquam matrem elegerat, impensius coluit, atque in eius honorem quotidie rosarium et psalterium S. Bonaventurae recitare solitus fuit: orabat et meditabatur assidue, ac vesperascente caelo, ne internosceretur, viam Crucis nudis pedibus obibat. Somni cibique parcissimus, haud raro ut meditationi operam daret, vigilabat: sextis quibusque feriis ieiunabat: solatia, congressus, familiaritates aversatus est. Modestia plusquam virginali usque ad miraculum spectabatur; quodque magis mirere, eum non modo lethalis, sed etiam deliberatae venialis cul-

pae, per totum vitae cursum, expertem fuisse gravissimi testati sunt viri, apud quos conscientiam suam expiaverat.

Precationibus ac meditationibus lectionem spiritualem, quam vocant, libenter adiunxit Ioannes verae sapientiae cupidissimus. Et sane mirum erat, adolescentem vix puberem S. Scripturam, Patrum scripta ac Sanctorum historias assidue pervolutare, atque acerrime meditari ut recte ac feliciter vivere disceret. Hinc merito de Ioanne nostro praedicari posset: *Cum adhuc iunior essem, priusquam oberrarem, quaesivi sapientiam palam in oratione mea .... Possedi cum ipsa cor ab initio: propter hoc non derelinquar* [1].

Ioannes Societatis Iesu inter sodales a Praeside Prov. Flandrobelg. die 24 Sept. 1616 adscribitur, et post biennium Romam mittitur.

Narrant porro beatum adolescentem iis ex lectionibus uberrimos percepisse fructus. Cum epistolas sancti Hieronymi meditatus est, mundi eiusque illecebrarum contemptum didicit: cum sancti Aloisii vitam, magno Societatis Iesu ineundae desiderio flagrare coepit. At ille vocationem hanc divinam ut exploraret probaretque, orationis, ieiunii ac sacramentorum usum adauxit: quibus factum est, ut sibi penitus persuaserit divini consilii dono ad eam se Societatem vocari. Hinc nulla mora Mechliniam cum socio contendit, ibique laetitia plenus a provinciae praeside inter eius Societatis sodales adscriptus est die vicesima quarta Septembris anno MDCXVI, aetatis suae septimo decimo.

[1] Eccli. LI.

Biennio tirocinii ad exemplum ibidem peracto, die vicesima quinta Septembris anno MDCXVIII *simplicia* vota nuncupavit: deinde Romam missus est, ut philosophiae operam daret. Qualia et quanta ibi praebuerit virtutum specimina, litteris consignatum est. « Romam venerat (ita Historia Societatis P. VI, lib. VI, pag. 289) ex provincia Flandrobelgica. Centum cum eo vixerunt novitii in tirocinio Mechliniensi. Multo maior numerus sociorum erat in collegio romano. Omnes pariter testabantur, nihil sibi notatum unquam fuisse, quod reprehendi posset, nihil mancum aut mutilum, nihil iam ad verae solidaeque virtutis normam non exactum: non supervacaneam aut parum consideratam vocem, non impetum animi, aut affectum repentinum, quales rationi vulgo praecurrunt, nihil demum quod vel minimum a virtute deflecteret . . . . Tantam eius virtutem mira quaedam dulcedo indolis et nativa oris venustas non imitabili modo condiebat. Quamobrem diiudicari haud facile poterat, utrum sociis venerabilior esset, an carior ». Haec Beati nostri sanctitatis typum belle exprimunt.

Obiit autem ille idibus Augusti in collegio romano, annum decurrens aetatis vicesimum tertium. Paulo ante quam moreretur, cum esset iam sacro perunctus oleo, sigillum Christi crucifixi rosario implicuit. Mox utrumque libello regularum Ordinis imponens: « Haec tria, inquit, sunt mihi carissima: cum his libenter morior ». Ita demum obiit, ut omnes pro certo sumpserint, immaculatum iuvenem ad sedes Beatorum, cum iis fortasse aliquando venerandum, evolasse.

Immaculati adolescentis mors pretiosissima in collegio romano die 13 August. 1622.

Percrebrescente fama sanctitatis processus Ordinarii conficiuntur et probantur.

Quae animi inductio non modo sodales suos pervasit, sed etiam externos, brevique factum est ut virtutum ac miraculorum angelici adolescentis fama percrebresceret, ac longe lateque pervagaretur. Ideo cura et studio ven. Societatis Iesu, paullo post Ioannis interitum, super illius vita ac gestis Romae atque Antuerpiae, in regione ubi ortus est, testimonia collecta fuerunt, et processus Ordinaria auctoritate constructi. Non brevi deinde interiecta mora, Apostolici confecti sunt processus, quibus rite absolutis, XIII kalendas Decembris anno MDCCCXXXIX, agitari coepta est quaestio de virtutibus theologalibus et cardinalibus venerabilis Ioannis, quae in antepraeparatorio et praeparatorio S. Congregationis conventu rite discussa, tandem X kalendas Decembris anno MDCCCXLII in generalibus eiusdem S. Congregationis comitiis proposita est coram Gregorio XVI praedecessore Nostro, tum Consultoribus tum Cardinalibus in affirmativam sententiam euntibus.

Quam eidem Praedecessori Nostro solemni Decreto confirmare placuit feria secunda Pentecostes IX Iunii insequente anno MDCCCXLIII, cum solemniter definivit: « *Virtutes theologales et cardinales, earumque adnexas in gradu heroico ven. servi Dei Ioannis Berchmans Societatis Iesu ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem quatuor miraculorum* ».

Approbatis tribus miraculis ad eiusdem S. D. invocationem a Deo patratis, eum Sum. Pontif. Pius IX dixit Beatum die 1 Iunii 1865.

Haec de miraculis quaestio octodecim post annos institui coepit, eaque proposita sunt in generalibus S. Congregationis comitiis habitis coram praedecessore Nostro Pio IX idibus Ianuarii anno MDCCCLXIV. Idem autem Pon-

tifex S. Congregationis scitum solemni decreto confirmavit III kal. Martii anno MDCCCLXV feria II post Dominicam Quinquagesimae. Qua die, salutari primum Hostia piissime oblata in privato sacello, cum ad ecclesiam sanctissimo Nomini Iesu dicatam, Augustissimum altaris Sacramentum solemniter expositum adoraturus, accessisset, ibi, in ecclesiae eiusdem sacrario, accitis ad se Cardinalibus Constantino Patrizi Episcopo Portuensi et S. Rufinae, S. Rituum Congregationi Praefecto, et Carolo Augusto de Reisach causae relatore, una cum Petro Minetti s. fidei Promotore, nec non Dominico Bartolini tunc S. R. Congregationis a Secretis, rite decrevit « Constare de tribus miraculis, Venerabili Ioanne Berchmans interveniente, a Deo patratis; scilicet de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Angelae Gilivel a congenita humorum discrasia et scorbuto, cum ossium deformatione et articulorum attractione;* de altero: *Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Angelae a Sanctissima Trinitate, novitiae in Asceterio Roncilionis, Ordinis S. Francisci, a complicata mortali gastritide;* de tertio: *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis Mariae Crucifixae Ancajani religiosae professae in venerabili monasterio S. Francisci Salesii Urbis, a febre hectica et a tumore canceroso* », simulque ab onere propositionis et approbationis quarti miraculi Postulatores absolvit.

Quae cum ita essent, illud tantum supererat, ut penes eamdem sacrorum Rituum Congregationem proponeretur dubium « *An, stante approbatione virtutum et trium*

miraculorum, deveniendum esset ad Beatificationem ». Quo favorabiliter resoluto, recurrente die secunda Maii S. Athanasio praestantissimo Ecclesiae Doctori sacra, idem decessor Noster Pius IX collegii Graecorum templum ipsi S. Doctori dicatum adivit, ibique decrevit: « *Tuto procedi posse ad solemnem venerabilis Servi Dei Ioannis Berchmans Beatificationem* ».

Solemnia autem Beatificationis magno sumptu ac splendore celebrata sunt in templo Vaticano kalendis Iunii anno MDCCCLXV. Subinde fama vulgari coepit de novis miraculis ad intercessionem Beati Ioannis patratis. Quamobrem supplices preces Sedi Apostolicae porrectae sunt pro causae *reassumptione,* ad effectum *Canonizationis,* ac Pius IX Summus Pontifex octavo idus Martii anno MDCCCLXVI *reassumptionem* ipsam sua manu signavit.

Paullo post data fuit Archiepiscopo Mechliniensi et Episcopo Gandavensi facultas condendi processus Apostolicos super miraculis, quorum alterum Bruxellis, Beato Ioanne intercessore, evenisse dicebatur, alterum Gandavi, litteris *remissorialibus* ad utrumque expeditis die decima tertia Iulii eodem anno. Confecto autem utroque processu, eorum est a S. Congregatione probata validitas die decima quinta Februarii anno MDCCCLXXIII; eiusdemque responsum ratum habuit Pontifex die decima septima eiusdem mensis.

Verum, quod Gandavi ferebatur evenisse miraculum, cum minus commode defendi posse videretur, de alio prodigio cogitatum est, quod prope urbem Americae quam

Novam Aureliam vocant, acciderat, deque eo iussa est Curia Neo-Aurelianensis inquirere iuxta instructionem a s. fidei Promotore exarandam, quae vicem litterarum *remissorialium* obtineret. Qui processus cum rite confectus Romam pervenisset, multaeque ad causam expediendam Nostris rescriptis apertae fuissent viae, iam de duobus miraculis, ad effectum Canonizationis, utiliter disceptari poterat.

Eorum primum eiusmodi est. Maria Wilson Londini in Canada ex haereticis parentibus orta et non sine speciali providentia catholicam religionem amplexa, huius praecepta et consilia tanto studio executa est, ut brevi monasticae vitae amore teneri coeperit. Itaque die x Iunii anno MDCCCLXVI cum ex urbe S. Ludovici in domum virginum a SS. Corde Iesu ad S. Michaëlis contenderet, in itinere primis morbi symptomatibus tentata est, nimirum crebris ad vomendum conatibus ac sinistri lateris dolore. Monasterium ingressa, etsi medicina adhibita ei fuerit accuratissime, illa tum lateris dolore, tum nausea vehementius cruciata est, atque etiam nonnihil cruoris excreare coepit. Hinc, iubentibus medicis, in oppidum, cui nomen *Grand Coteau*, missa est, ut salubriori aëre valetudo recrearetur.

Afferuntur bina miracula ad effectum Canonizationis Beati Ioannis ab Apostolica Sede approbata.

At, contra quam illi opinabantur, evenit. Eo enim cum Maria pervenisset, stomachi dolor acrior atque intolerabilior evasit: febris ardens accessit, ac, qui nullo remedio cohiberi potuit, tum ingesti cibi, tum sanguinis vomitus. Quamobrem de ulcere stomachum peredente mi-

nime dubitari posse decreverunt medici. E stomacho in esophagum, uti fit, et pharingem et linguam erupit morbus, ac gengivas ita corrupit, ut foetidissima ex eis scateret sanies: vires autem adeo collapsae, ut tantum frigidissimus sudor ac pectoris anhelitus Mariam adhuc vivere demonstrarent.

Tunc caeleste auxilium a sororibus invocatum, atque interpositum patrocinium Beati Ioannis Berchmans; qui postremo novendialium supplicationum die, Mariae, quae paullo antea sacro Viatico munita fuerat, apparuit, eamque bene valere iussit. Ita autem ea convaluit, ut non modo morbus, sed etiam illius effecta illico evanuerint. Nullum enim neque in faucibus, neque in lingua, neque in ore, cunctis ac praecipue medicis stupentibus, notatum est.

Nec minorem admirationem ciet, quae affertur secundo loco sanatio, Sororis Mariae Dionysiae Lyon religiosae professae in monasterio Bruxellensi Sanctae Clarae. Ea enim, cum prospera valetudine uteretur, asceterium ingressa anno aetatis suae vicesimo secundo, ac saeculi nostri quinquagesimo tertio, ideo gravioribus laboribus addicta est, quia corporis robore ceteris praestabat. Nihilominus stomacho identidem laboravit, quin medici, quin Sorores suspicarentur funestos inde secuturos effectus. Verum anno MDCCCLXI, post graves assiduosque labores, vigiliasque sororibus aegrotis curandis impensas, Dionysiae morbus ea exhibuit symptomata, unde medici tum stomachi, tum nervei systematis laesionem merito con-

iectarent. Rabida enim atque inexpleta ciborum aviditas atque ingestio sine ulla virium refectione, *Bulimiam,* quam vocant, apertissime indicabant. Spinae autem dorsi vehementes acutissimique dolores atque in dies progrediens inferiorum praecipue artuum debilitas, paralysi haud absimilis, evidentissime eidem spinae magnum inesse vitium ostendebant.

Id medicorum iudicio comprobatum est, qui cum morbum in dies progredi cernerent, Dionysiam ad valetudinarium deduci iusserunt, ubi, ab iisdem conclamata, pluribus mensibus in lecto iacuit. Cum autem supremum iam obitura diem videretur, novendiales preces in honorem B. Ioannis iussit antistita, quibus expletis, cum Dionysia ad templum deducta, ibi, caelesti dape refecta, ferventiori prece tum Dei tum Beati intercessoris opem, fiducia plena, implorasset, extemplo valetudinem ita recuperavit, ut eodem die et communibus interesse precibus et communi uti victu potuerit.

Quae miracula, cum de iis ad severos iuris pontificii tramites facta fuisset contentio, tandem in generalibus S. Ordinis comitiis habitis coram Nobis, XI kalendas Iulii proxime superiori anno MDCCCLXXXVII, tum Consultorum, tum Cardinalium suffragiis probata sunt. Ea Nos, divini consilii lumine implorato, Apostolica auctoritate confirmavimus kalendis Novembris eodem anno, die solemni omnium Sanctorum memoriae sacro, rite decernentes « *Constare de duobus miraculis Beato Ioanne Berchmans intercessore a Deo patratis;* nimirum de primo: *Instantaneae perfectaeque sa-*

nationis Mariae Wilson in tirocinio Virginum a Sacratissimo Corde Iesu oppidi Grand Coteau Archidioecesis Neo-Aurelianensis a lethali ulcere chronico stomachi, accedente acuta phlogosi; cui prope moriturae Beatus Ioannes Berchmans apparens illico perfectam valetudinem restituit »; ac de altero: « *Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Dionysiae Lyon, monialis professae in Bruxellensi monasterio Clarissarum, a gastrite chronica, ulcere stomachi peredente, et gravissima spinae laesione* ».

Deinceps, quod ex iuris praescripto reliquum erat, cum in generalibus sacri Ordinis comitiis habitis XVII kalendas Decembris praedicto anno, tum Consultores, tum Cardinales coram Nobis unanimi sententia respondissent, stante approbatione duorum miraculorum, post indultam a Sede Apostolica Beato Ioanni Berchmans venerationem, procedi posse ad eius Canonizationem, Nos, prima sacri Adventus Dominica proxime secuta, salutari Hostia litata, in nobiliore Vaticani palatii aula, adstantibus dilecto filio Nostro Cardinali Angelo Bianchi S. R. Congregationi Praefecto et causae relatore, una cum dilectis filiis Augustino Caprara s. fidei Promotore, et Laurentio Salvati eiusdem Congregationis a Secretis, solemniter pronunciavimus « *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Ioannis Berchmans Canonizationem* ». Quod Decretum in acta S. Congregationis relatum est V kal. Decembris MDCCCLXXXVII.

Consistoria, secretum, publicum ac semipublicum, ante Canonizationem habita. Precibus populo indictis, dies et locus

Quibus peractis, iam tempus advenerat solita Consistoria indicendi ut S. R. E. Cardinales tanta de re certiores fierent, Nobisque sententiam suam aperirent.

Quamobrem nonis Decembris eodem anno *secretum* Consistorium cogi iussimus, in quo dilectus filius Noster Cardinalis Angelus Bianchi S. R. Congregationi Praefectus, tum septem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum B. Mariae Virginis, tum Beati Petri Claver sacerdotis professi e Societate Iesu, Nigritarum Apostoli, tum Beati Ioannis Berchmans scholastici, et Beati Alphonsi Rodriguez coadiutoris formati eiusdem Societatis, acta singillatim exposuit. Cuncti vero qui aderant Cardinales, sibi omnino in votis esse edixerunt, ut tum Beatum Ioannem Berchmans, tum alios recensitos Beatos ad Sanctorum Caelitum honores definitivo decreto extolleremus.

solemnis Ritus praefiniuntur.

Paullo post, nimirum x kalendas Ianuarii eodem anno MDCCCLXXXVII, Consistorium publicum celebratum est, in quo Cardinales et alii omnes praesentes libentissime aures praebuerunt iis quae praeclara oratione de beato adolescente disseruit dilectus filius Guido Marucchi alter e Consistorialis Nostrae aulae advocatis.

Denique in Consistorio, quod semipublicum vocant, habito v idus Ianuarii hoc anno, convocatis de more tum Cardinalibus, tum Patriarchis, Archiepiscopis atque Episcopis, quorum plurimi in Urbem convenerant cum plebe christiana, quinquagesimum ab inito sacerdotio annum redeuntem Nobis gratulaturi; omnes, re penitus explorata, tum ex iis quae in memorato Consistorio publico peracta fuerant, tum ex actis S. Rituum Congregationis, quorum exemplar unicuique tradi iussimus, in eamdem sententiam de Canonizatione hac quamprimum celebranda, unanimi-

ter ac gestientes convenerunt. Cuius rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis exarata in tabularium S. Romanae Ecclesiae perferri mandavimus.

Solemnem autem Canonizationem celebrari iussimus die decima quinta Ianuarii vertente hoc anno, secunda post Epiphaniam Dominica, qua Sanctissimum Redemptoris nostri Nomen devota solemnitate recolitur. Interim fideles hortati sumus ut ieiunio atque oratione novensilium Caelitum gratiam sibi conciliarent, indicatis ecclesiis, in quibus supplicatio ad animae labes expiandas satisfactionis instar esset.

Solemnis celebratio Canonizationis die 15 Ianuar. 1888 in Aula Basil. Vaticanae pronao insistente, peragitur.

Cum autem praefinita dies advenit, Nos, cunctis romanae curiae Praesulibus, Proceribus, atque Officialibus comitantibus, in maxima PP. Cardinalium atque Episcoporum frequentia, solemni supplicantium ritu Basilicae Vaticanae aulam supra porticum, ad modum templi magnificenter ornatam, ingressi sumus. Tunc dilectus filius Noster Card. Angelus Bianchi sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, atque huic Canonizationi procurandae praepositus, perorante dilecto filio Philippo Gioazzini Consistorialis aulae advocato, a Nobis enixe postulavit nomine virorum principum, sacrorum Antistitum, atque universae Societatis Iesu, ut Beatum Ioannem Berchmans scholasticum eiusdem Societatis, una cum septem BB. Fundatoribus Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, nec non Beatis Petro Claver sacerdote professo, et Alphonso Rodriguez coadiutore formato praedictae Societatis, Sanctorum numero adscriberemus. Cum autem iterum ac tertio memoratus

Cardinalis per dictum advocatum S. Consistorii Nos obsecrasset, ut sententiam christiano orbi laetissimam futuram, tandem pronunciaremus, Nos, Paracliti Spiritus lumine implorato, et Immaculatae Virginis, Angelorum ac Sanctorum omnium patrocinio confisi, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad catholicae Ecclesiae incrementum et decus, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, matura deliberatione et venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, praedictum Beatum Ioannem Berchmans scholasticum e Societate Iesu, una cum memoratis septem Beatis fundatoribus, et Petro Claver, et Alphonso Rodriguez, inter Sanctos solemni ritu adnumeravimus. Decrevimus insuper S. Ioannis memoriam quotannis celebrari idibus Augusti, natalemque eius diem in Martyrologium referri, et Christi fidelibus qui illius exuvias ea die venerati fuerint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum in perpetuum concessimus. Denique, actis omnipotenti Deo pro tanto beneficio gratiis, sacrosanctam Hostiam litaturi ad aram accessimus, et evangelii lectione peracta, omnes, qui aderant, hortati sumus ut tantos advocatos apud Dominum nostrum Iesum Christum, pro Ecclesia, religiosis Ordinibus, ac christiana republica, tam diris agitata tempestatibus, fiducia pleni interponerent. Post haec Apostolicam benedictionem et plenariam admissorum indulgentiam omnibus peramanter in Domino impertivimus, litterasque Apostolicas sub plumbo de iis omnibus publicari mandavimus.

Excitantur Christifideles ut virtutibus et exemplo angelici adolescentis suae sanctificationis satagant, eiusque praesidium cultu demereant.

Felici nuntio cor vestrum exultet, filii carissimi, et sanctae matri Ecclesiae gratulamini, quae Divini Spiritus munere foecunda, tantum filium ad Domini nostri Iesu Christi gloriam, ad vestram sanctificationem atque praesidium extulerit. Humilitatem, obedientiam, castitatem, sinceram constantemque officiorum professionem et observantiam cuncti colite; colat praesertim iuventus, ea imprimis quae Nostro ductu auspicioque in spem Ecclesiae et civilis societatis succrescit, ut bonarum artium et scientiarum praesidio et ornamento probe instructa, manifestam faciat insipientiam eorum, qui semper discunt, numquam ad scientiam veritatis pervenientes. Sunt enim hi, ut docet Apostolus, [1] *seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi.... sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei; habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.*

Hos devitate, ut iubet Apostolus, et angelici adolescentis imitati virtutes, doctrinae sanae, praesertim sancti Doctoris Aquinatis, totis viribus incumbite, ut vobis honori et Ecclesiae emolumento esse possitis.

Denunciatio universae Ecclesiae. Transumptis fides habenda.

Praedicta omnia ad universalis Ecclesiae notitiam deduci, praesentesque litteras ad perpetuam rei memoriam dare voluimus, mandantes ut earumdem transumptis sive exemplis etiam impressis, et manu alicuius Notarii subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti

[1] II. ad Tim.

munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae praesentibus haberetur si exhibitae atque ostensae forent.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo liceat paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis ac voluntatis infringere; si quis autem temerario ausu contraire praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo septimo, * undecimo kalendas Februarii, Pontificatus Nostri anno decimo.

* Ex quo Curia Apost. utitur anno ab Incarnat. div. Verbi, qui suum habet initium die 25 Martii; idcirco dicitur 87, ad dictam diem.

EGO LEO CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS



✠ Ego C. Episcopus Ostiensis et Veliternus Card. Sacconi Sac. Collegii Decanus Pro-Datarius.

✠ Ego Ioan. Bapt. Episcopus Portuensis et S. Rufinae Card. Pitra O. S. B.

✠ Ego R. Episcopus Albanensis Card. Monaco La Valletta maior Poenitentiarius.

✠ Ego A. Episcopus Praenestinus Card. Oreglia S. R. E. Camerarius.

✠ Ego A. Episcopus Sabinensis Card. Serafini.

✠ Ego G. tit. S. Callixti Protopresbyter Card. Hohenlohe.

✠ Ego L. tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Bonaparte.

✠ Ego M. tit. S. Mariae in Ara-Coeli Presb. Card. Ledochowski.

✠ Ego Ioan. tit. S. Petri in Vinculis Presb. Card. Simeoni.

✠ Ego L. tit. S. Crucis in Ierusalem Presb. Card. Parocchi.

✠ Ego C. tit. S. Anastasiae Presb. Card. Laurenzi.

✠ Ego A. tit. S. Praxedis Presb. Card. Bianchi.

✠ Ego G. tit. S. Clementis Presb. Card. Sanfelice O. S. B.

✠ Ego Fr. G. tit. SS. Vitalis Gervasii et Protasii Presb. Card. Massaia Ord. Cap.

✠ Ego P. tit. S. Stephani in Monte Caelio Presb. Card. Melchers.

✠ Ego Plac. M.ª tit. SS. Ioannis et Pauli Presb. Card. Schiaffino.

✠ Ego S. tit. S. Sabinae Presb. Card. Vannutelli.

✠ Ego C. tit. S. Thomae in Parione Presb. Card. Aloisi-Masella.

✠ Ego M. tit. S. Caeciliae Presb. Card. Rampolla del Tindaro.

✠ Ego Th. S. Laurentii in Damaso Protodiaconus Card. Mertel Vice-Cancellarius.

✠ Ego Ios. S. Agathae ad Suburram Diac. Card. Pecci.

✠ Ego Ios. S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Hergenroether.

✠ Ego Fr. Th. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Zigliara Ord. Praed.

✠ Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Ricci-Paracciani.

✠ Ego I. S. Caesarei Diac. Card. Masotti.

✠ Ego I. S. Angeli in foro Piscium Diac. Card. Verga.

✠ Ego C. SS. Viti et Modesti Diac. Card. Cristofori.

✠ Ego A. S. Mariae de Scala Diac. Card. Theodoli.

✠ Ego C. S. Adriani Diac. Card. Mazzella S. I.

✠ Ego A. S. Mariae ad Martyres Diac. Card. Pallotti.

✠ Ego Fr. Aug. S. Mariae in Domnica Diac. Card. Bausa Ord. Praed.

C. Card. SACCONI Pro-Dat. – M. Card. LEDOCHOWSKI

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ *Plumbi*

Reg. in Secret. Brevium

I. Cugnonius

LITTERAE APOSTOLICAE

DE CANONIZATIONE BEATI ALPHONSI RODRIGUEZ.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Prooemium

Cum vitam ac vices intuemur hominum, qui sanctitate claruerunt, divinae sapientiae lege fieri videmus, ut qui impensius humilitatem coluerint, eos et uberiori gratiae suae copia Deus augeat, et gloriae magnitudine apud homines etiam illustret. « *Nam quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia . . . ut non glorietur omnis caro in conspectu eius . . . ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur* [1] ». In quo ut hi magis proficiant, sapientissimo Deus consilio aerumnis eos adversisque rebus affligi sinit, quibus omne elatioris spiritus periculum absit et christiana humilitas altiores radices agat.

[1] I. Cor. I, 27 et seq.

Atque haec quidem in beato Alphonso Rodriguez perfecta fuisse comperimus, sive inopinatam studiorum eius abruptionem, sive adversam deinde in mercatura fortunam, sive gravissimas quas usque pertulit tentationes, sive permolestas, quibus fuit obnoxius, corporis infirmitates recolamus. Quo factum est, ut qui ad suam gloriam cuncta creavit, humillimo ac fidelissimo servo admirabilem virtutum praestantiam, caelestium charismatum splendore fulgentium, contulerit, qua cum Sanctorum principibus merito comparetur.

B. Alphonsi virtutes commendantur.

Nec sua tantum laude Alphonsus insignis est, sed etiam aliorum, quibus aeternae salutis iter ostendit. Inter quos S. Petrus Claver primo loco censendus, cui ille olim adolescenti sanctimoniae sublimioris alacriter aggrediendae, capessendique ad Indias occidentales apostolatus auctor fuit. Quamobrem non sine manifesto Dei placito evenit, ut et magnus Nigritarum Apostolus, et humilis ianitor collegii Palmensis, communi gloria incliti, eodem die sanctorum laurea donarentur.

Ortus Segoviae die 25 Iulii 1531: pueritia describitur.

Itaque Alphonsus, magnum Hispaniae et Societatis Iesu ornamentum futurus, Segoviae natus est die vicesima quinta Iulii anno MDXXXI ex Didaco et Maria Gomez, honestis mercatoribus et catholicae religioni ad exemplum addictis.

Adhuc puerulus eximie se pium exhibuit, praesertim erga Deiparam, quam ita coluit dilexitque, ut ab ea non modo singulares gratias, sed etiam colloquia meruerit amantissima. Fertur enim Alphonsus, cum amoris

aestu abreptus ita candide allocutus esset Virginem « *Te diligo, Domina ; utinam tu tantopere diligeres me* », hoc ab ea accepisse responsum « *Non ita, fili, plus enim ego diligo te* ». Quod benignissima sanctorum Regina clientulo suo praestitit ; nam mirum in modum, ut virtutis metam assequeretur, illum adiuvit, ac contra inferni draconis fraudes iniuriasque defendit.

Deinceps Complutum ad litteras addiscendas missus, haud multo post, ob patris obitum revocatus a matre, ut illi in mercatura exercenda succederet, hortatu eiusdem honestissimam puellam duxit uxorem.

Inito matrimonio et uxore amissa, perfectioris vitae statum animo agitat.

At paulo post, cum coniugem amisisset, et commercium minus prospere cederet, animo agitare coepit quodnam vitae genus sibi instituendum esset, ut illam, quam a puero adamaverat virtutis perfectionem , Deo favente, consequeretur. Quamobrem mercatura relicta, ut nullum divinae vocationi inferret obstaculum , domesticis rebus summa erga propinquos caritate compositis , totum sese sanctiori atque austeriori vitae libentissime addixit. Itaque generali admissorum confessione apud P. Martinez Societatis Iesu magna animi contritione ac uberrimis lacrimis, quarum fons nunquam exhaustus est, peracta , singulis hebdomadis tum Poenitentiae, tum Eucharistiae sacramenta frequentare perrexit, quibus iugem precationem eamque ferventissimam, ieiunia atque acerbissimas cruentasque flagellationes adiecit. Narrant autem, Christum ipsum amantissimo famulo, nocte quadam dum hic vehementes inter gemitus illum quaerebat, ei magno illu-

strium sanctorum choro stipatum, inter quos beatus Franciscus Asisiensis eminebat, adstitisse; ab eoque Franciscum quaesivisse, cur tantam lacrimarum vim effunderet. Cui Alphonsus: « *Qui possum, inquit, tenere lacrimas, conscius Dei mei toties a me graviter offensi, cum etiam leves in eum noxae, ne producto quidem ad obitum luctu, satis expientur?* »

Divinitus admonitus Societatem Iesu ingreditur die 31 Ianuarii 1571 aetatis suae XL et inter fratres Coadiutores adnumeratur.

Praeclara ac sancto viro prorsus digna sententia, quam Christus benignissimo in eum obtutu probavit. Hac caelesti visione ita recreatus est Alphonsus, tamque ad subliniora spiritualis vitae mysteria erectus extitit, ut deinceps nihil in eo animadversum fuerit, quod terreni quidpiam saperet. Omnia in ipso composita et moderata in affectibus animi et cupiditatibus; nihil gravius in moribus, nihil sanctius et cum Deo coniunctius in omni officio pietatis; nihil in salutis cura et rerum aeternarum studio attentius. Quas virtutes supernorum charismatum cumulo Deus ornavit. Compertum est enim, Alphonsum pluries rerum futurarum praedixisse eventus, eidemque Deum ipsum, quod tantopere optaverat, novae vitae ineundae viam aperte demonstrasse. Etsi enim Alphonsus, qui Societatem Iesu a puero apprime noverat, eam summo prosequeretur amore; nihilominus illud Sodalitium tum ingredi deliberavit, cum per noctem quamdam sibi obiecta species id divinitus monere visa est. Nimirum illi in somnis pulcherrima obversata est imago columbae, cuius in pectore nomen Iesu fulgidissimis ex argento notis sculptum cernebatur. Ea nigrarum avium densissimas

turmas, quae tumultu ac stridore horrendo aerem turbabant, impetu facto dissipare ac perdere satagebat. Illae autem acerrime resistebant, et quamquam tenuatae ac perculsae, iterum ac tertio certamen molitae fuerunt, donec columbae vi discerpta sunt earum corpora atque ad terram allisa.

Quid visio eiusmodi portenderet, P. Ioannes Baptista Martinez, quo Alphonsus a confessionibus utebatur, diserte huic explanavit: nimirum proximum eius in Iesu Societatem ingressum, atque insignes, quas sub nomine ac tutela Sanctissimi Iesu Nominis victorias de satana relaturus esset.

Quare nullo iam caelestem vocationem praepediente officio (obierant enim post uxorem etiam suscepti ex ea liberi) soli Deo vacare statuit in Societate Iesu, cui adscriptus est Valentiae pridie kalendas Februarii anno MDLXXI, aetatis suae quadragesimo. Cum autem iam provectae esset aetatis, adeoque studiis aggrediendis impar, inter fratres coadiutores locum obtinuit. Id Alphonso, qui humillimus erat, mirifice placuit. Quare Deo maximas egit gratias, quod tandem aliquando, post saeculi aerumnas ac discrimina tutissimum portum tenere potuerat. Ibi autem tanta edidit omnium virtutum, ac praesertim humilitatis, obedientiae et poenitentiae specimina, ut novum attonitis ac mirantibus sodalibus spectaculum praebuerit. Quo factum est, ut breve post tirocinium in Maioricam missus sit, ubi unanimi Patrum consensu vota simplicia nuncupavit die quinta Aprilis anno MDLXXIII in collegio

Societatis Iesu paullo ante instituto, quod nomen nactum erat a Sanctissima Virgine montis Sion. Ibidem eadem die anno MDLXXXV ultima emisit vota, ac totum vitae curriculum ianitoris officio, quoad potuit, functus explevit.

Qui hactenus in perfectionis semita tam strenue progressus erat, et matura propemodum vitae sanctitate inclitae Societati nomen dederat, in illa religiosa palaestra vix quidpiam novi notandum exhibuit, nisi quod virtutes altis iam innixae radicibus, accedente gratia divinae vocationis, luculentiores fructus ferre coeperunt.

Humilitas, castitas, paupertas, poenitentiae et orationis studium, divinarum veritatum contemplatio, tenerrimus erga Deiparam amor, iugis ac penitissima Domini nostri Iesu Christi passionis meditatio (unde caritas illa ferventissima erga proximum, unde singularis ille mundi contemptus, atque implacabile odium sui, quod Antistitum prudentia saepe coerceri debuit) adeo in illo eminuerunt, ut paucos, fortasse etiam inter sanctos, pares habuerit.

Cum paucis etiam comparari potest insignis supernorum charismatum copia, quibus tanti viri humilitatem nobilitavit Deus, eumque simul roborare ac recreare dignatus est in diuturnis illis teterrimisque insectationibus, quibus identidem a potestatibus tenebrarum vix credibilem in modum vexatus est. Quarum postrema quae paullo ante eius obitum accidit, etsi mitior specie tenus videri possit (diabolus enim Alphonsi corpori, quod alias ad necem afflixerat, pepercit) eiusmodi tamen fuit, quae illius

animum funditus profligare, eumque, bonis longe pretiosissimis ereptis, ad salutis desperationem adigere potuisset.

Nimirum sanctissimo seni visum est sibi iam instare periculum divinam amittendi amicitiam, ex quo nullo pacto evadere posset: id praeteritis peccatis se meruisse, nec hominem tam indignum, tot tantisque abusum donis, Deum et Deiparam erepturos. Hinc Deum et Deiparam, ut sui misererentur, lacrimarum plenus dies noctesque ille inclamabat, et solitas fundere preces conabatur. At frustra: nam ipsius dominicae orationis, inferna fraude, oblitus erat, praeterita tantum peccata obversabantur animo, et sempiternus a Deo ad tartarum detrudente discessus. Unicum ei solatium, rogitare sodales ut preces, quarum ipse oblitus erat, coram se recitarent.

Ad caelestem sedem evolat die 31 Octobris 1617 aetatis suae LXXXVII.

Quinque mensium spatio Alphonsi animum haec peredit anxietas, cum tandem Christus et Sancta eius Genitrix aegerrimo apparuere seni, eumque divinae caritatis dulcedine recreatum placidissima quiete donarunt. Nec semel aut iterum eorum conspectu atque colloquio gavisus est Alphonsus, cum morbus ad interitum vergeret, sed saepissime, ut vere dici possit illum inebriatum esse ab ubertate domus Dei, antequam in eam receptus esset. Evolavit autem ad caelestium sedem pridie kalendas Novembris ineunte pervigilio solemnitatis Sanctorum omnium anno MDCXVII, aetatis suae agens octogesimum septimum, postquam, defixo in Crucifixum obtutu, dulcissima Iesu et Mariae nomina magna voce inclamaverat.

Vix sancti viri obitus per insulam innotuit, mirus ad venerandum cadaver ex omni ordine concursus civium. Clerus, religiosi coetus, nobiliores, magistratus, plebs, ad ecclesiam, ubi illud visebatur, frequentissimi et devoti confluxerunt; cunctique expleri videndo non poterant, et pia manibus oscula figebant, seque divino amore inflammari vel ipso eius aspectu praedicabant.

De eius fama sanctitatis et miraculis, Ordinarii processus construuntur; Virtutes in gradu heroico declarantur die 5 Maii 1760. Miracula probantur die 31 Iulii 1829.

Mox plurium magnorumque miraculorum fama vulgata est. Quamobrem Maioricae et Segoviae processus, quos ordinarios vocant, confecti sunt, iisque decreto praedecessoris Nostri Urbani VIII die vicesima secunda Martii anno MDCXXVIII probatis, idem Pontifex causae commissionem signavit die XX Decembris eodem anno. Decreta autem paullo post ab eodem Pontifice lata effecerunt ut causam differre necesse fuerit, cui iterum opera data est exeunte anno MDCLXVII. Haud brevem vero eidem intulere moram tum necessarium scriptorum examen, tum alia quae ad tramites iuris peragi oportuit.

Tandem cunctis feliciter expletis, ac de virtutum gradu facto periculo, praedecessor Noster Clemens XIII solemni decreto eas heroicas fuisse sanxit die quinta Maii anno MDCCLX.

Successit de miraculis quaestio, de quibus cum apud S. Rituum Congregationem fausto exitu quaesitum esset, antecessor Noster Leo XII ea solemni decreto probavit edito pridie kalendas Augusti anno MDCCCXXIX.

Miracula porro eiusmodi fuerunt: primum – *Sanatio Antoniae Blanquera ab enormi uteri haemorrhagia, gra-*

vissimis stipata symptomatibus, cum ocyssima virium restitutione; alterum — *Instantaneae admirabilisque emissionis foetus mortui ita transversim in utero positi puerperae Margaritae Compagn, ut, uno exserto brachio, naturaliter educi omnino non posset.*

Inter Beatos Alphonsum accensuit Summ. Pont. Leo XII in templo Vaticano die 12 Iunii 1825.

Quibus positis, tuto Beatorum honoribus Alphonsum decorari posse S. Congregationi visum est; quod iudicium idem Pontifex ratum habuit eodem anno, die S. Michaeli Arcangelo sacra. Beatificatio autem peracta est splendidissime in templo Vaticano pridie idus Iunii anno MDCCCXXV.

Brevi interiecto spatio, cum nova miracula nuntiarentur Beati Alphonsi intercessione patrata, de Canonizatione eiusdem cogitari coeptum est; cumque dubium *reassumptionis* causae ad hunc effectum propositum esset, praedecessor Noster Gregorius XVI die decima octava Novembris anno MDCCCXXXI propria manu *reassumptionis* commissionem signavit, eodemque die facultatem impertivit condendi processum Apostolicum super miraculo, quod in dioecesi Maioricensi per invocationem eiusdem Beati contigisse dicebatur; litteraeque *remissoriales* ad hunc effectum datae sunt.

Qui processus cum confectus esset et rite resignatus, tandem auctoritate Apostolica probatus est die secunda Martii anno MDCCCXXXIX. Usque ad annum MDCCCLXVI causa siluit. At die prima Februarii eodem anno aliae litterae *remissoriales* datae sunt, ut processus institueretur super novo asserto miraculo, quod Bruxellis in dioecesi Mechliniensi fama ferebat evenisse. Cunctis autem rite

peractis, huius processus validitas probata est die quarta Februarii anno MDCCCLXXI.

Itaque cum insequenti tempore multum sollerterque laboratum fuerit, quo facilior atque expeditior miraculorum disceptationi sterneretur via, ut de iis deliberaretur iusta indicta sunt comitia.

Primum autem miraculum in Maiorica accidit Dominae Ioachimae Roca y Rayò, quae ad septimum decimum aetatis annum florenti usa valetudine, dein variis morbis tentari coepit, quorum indoles medicis suspecta visa est. Neque eos fefellit opinio: nam anno MDCCCXXIX lienis obstructionis atque inflammationis manifesta sese prodidere symptomata. Tumor, ingravescente morbo, deprehensus est, isque duritie et magnitudine insignis. Nondum autem valetudinis spes abiecta.

Duo miracula afferuntur ad effectum canonizationis B. Alphonsi a Sede Apostolica probata die 1 Novemb. 1887.

At mense Iulio anno MDCCCXXX, cum ad potiora viscera sese diffudisset morbus, et vomitus cum febri ardenti, nec non insomnia cum delirio accessissent, medici censuerunt de sanatione desperandum. Inter haec cum Ioachima, susceptis Ecclesiae sacramentis, proxime moritura erat, visa sibi est videre ab effigie, quam manu tenebat, Beatum Alphonsum monentem et hortantem ut suos cineres in iusculo hauriret, inde sanitatem recuperatura. Hausit commodissime retinuitque Ioachima, quae extemplo non modo convaluit, sed etiam validior, quam antea fuerat, cunctis apparuit.

Nec minus memorabile est, quod Sorori Mariae Alphonsae Gallis obtigit, moniali professae in Antuerpiensi Mo-

nasterio S. Coletae. Illa usque a pueritia non modo incommodae, sed etiam pravae valetudinis indicia praebuit. Monasterium ingressa, aliquot annis se melius habuit: at sensim sine sensu morbus, qui intimis visceribus latebat, erupit, eumque stomachi cancrum medici iudicarunt usque ab anno MDCCCLVIII. Hoc iudicium ex symptomatibus satis probatum, certius ex eo evadebat quod patrem monialis idem interemerat morbus.

Interim, etsi validiores adhiberentur medicinae, summa corporis macies, vires non modo debilitatae, sed etiam absumptae atque exhaustae, continuae cibi potusque vomitiones supremum iam instare diem praenunciabant. Quod ut averteretur, summa pietate tum Alphonsa tum Sorores novendialibus precibus Beati nostri patrocinium implorarunt, atque exauditae sunt. Nam die octava Decembris anno MDCCCLXIII, quae dies memoratae novendialis supplicationis postrema fuit, conclamata Soror, postquam Sacrosanctum Christi Corpus recepisset, ita bene se valere sensit, ut e lecto prosiliens suisque se induens vestibus, monasterium, mirantibus Sororibus, celeri gradu percucurrerit, magna voce miraculum quod sibi evenerat inclamans, quod hodieque durat: nam eamdem Sororem recte adhuc valere paullo ante sacrae Congregationi relatum est.

De iis itaque miraculis cum feliciter disputatum esset apud sacrorum Rituum Consultores VI idus Februarii anno MDCCCLXXXVII, et IV idus Iulii eodem anno; coacta fuere coram Nobis praefato anno, VIII idus Septembris, Co-

mitia generalia, in quibus quotquot aderant tum Consultores tum Cardinales sententiam super praedictis miraculis tulerunt.

Quae cum a Nobis, iuvante divini Spiritus auxilio, multum diuque perpensa esset, tandem kalendis Novembris eodem anno, adstantibus dilectis filiis Nostris Cardinalibus Angelo Bianchi sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et Carolo Laurenzi causae relatore, una cum dilectis filiis Augustino Caprara s. fidei Promotore, et Laurentio Salvati eiusdem S. Congregationis a Secretis, solemniter pronunciavimus « *Constare de duobus miraculis ad invocationem Beati Alphonsi Rodriguez patratis* » nimirum primo: « *Instantaneae perfectaeque sanationis Ioachimae Rocha y Rayò a splenite, quam gastritis ac diffusa peritonitis subsequutae sunt* »; et de secundo: « *Subitae ac perfectae sanationis Sororis Mariae Alphonsae Gallis monialis professae in Antuerpiensi monasterio S. Coletae ab haereditario atque inveterato cancro stomachi.* »

Quod Decretum eodem die in acta S. Congregationis relatum est.

Porro, cum XVII kal. Decembris eodem anno iterum ex praescripto iuris generalia S. Ordinis comitia indicta essent et disceptaretur dubium « *An stante approbatione duorum miraculorum post indultam venerationem, tuto procedi possit ad solemnem Beati Alphonsi Canonizationem* », quotquot aderant tum Consultores tum Cardinales tuto procedi posse responderunt.

Quae eorumdem suffragia et libentissimo accepimus

animo, et suprema auctoritate Nostra confirmanda censuimus, paucos post dies, nempe v kalendas eiusdem mensis.

Quocirca, post oblatum sacrificium, in Nostri Pontificii palatii aula, praesentibus dilectis filiis Nostris Cardinalibus Angelo Bianchi S. Rituum Congregationi Praefecto, et Carolo Laurenzi causae relatore, una cum dilectis filiis Augustino Caprara s. fidei Promotore et Laurentio Salvati eiusdem sacrae Congregationis a Secretis, solemniter pronunciavimus « *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Alphonsi Canonizationem.* »

Consistoria, secretum, publicum et semipublicum, ante Canonizationem habita. Preces publicae indictae. Dies et locus Canonizationis praefiniuntur.

Deinceps, cum iam maturaret tempus humilem Dei servum supremis Caelitum honoribus decorandi, praedecessorum Nostrorum exemplis inhaerentes, Consistoria indiximus. Secretum coactum est nonis Decembris proxime superiori anno MDCCCLXXXVII ibique dilectus filius Noster Card. Angelus Bianchi S. Rituum Congregationi Praefectus novensilium Sanctorum acta et miracula singillatim ac diserte coram Nobis et Cardinalibus exposuit.

Alterum Consistorium, nempe publicum celebratum est x kalendas Ianuarii eodem anno MDCCCLXXXVII, in quod cum magna frequentia convenissent Cardinales, audito prius dilecto filio Philippo Gioazzini Consistorialis aulae advocato, solemni Beati Alphonsi Canonizationi nullam interponendam esse moram censuerunt. Adeo eius tum virtutes, tum miracula fulgebant!

Paucos post dies, nempe v idus Ianuarii vertente anno MDCCCLXXXVIII *semipublicum* Consistorium habitum est, in quod non modo S. R. E. Cardinales, sed etiam Pa-

triarchae, Archiepiscopi, Episcopi ad hoc de mandato Nostro vocati per litteras sacrae Concilii Congregationis, Nobis adfuerunt, qui tum ex iis, quae in Consistorio publico gesta fuerant, tum ex authenticis documentis sacri Consilii Ritibus cognoscendis praepositi, quorum exemplar typis editum unicuique eorum exhiberi iussimus, singuli unanimiter votis iam prolatis in publico Consistorio accesserunt. Cuius rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis confecta in tabulario sanctae romanae Ecclesiae asservari mandavimus.

Ad solemnem autem Canonizationem celebrandam praestituimus diem decimam quintam mensis Ianuarii hoc anno MDCCCLXXXVIII, nempe Dominicam a festo Epiphaniae secundam, quae est Domini nostri Iesu Christi Nomini sacra, locum autem aulam super Vaticanae Basilicae pronao magnificenter extructam.

Interim fideles omnes hortati sumus ut ieiunio assiduaque prece ad tantam solemnitatem devote compararent animos, eisque ecclesias designavimus in quibus indulgentiarum thesauros lucrari possent.

Canonizatio solemniter celebratur in aula Basilicae Vaticanae super pronao exstructa. Benedictionem Apostolicam cum dulgentiis Summus Pontifex largitur.

Cum autem faustissima dies illuxit, Nos cum magno tum Praesulum, tum omnium romanae curiae Procerum atque Officialium comitatu, subsequentibus Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis ac s. romanae Ecclesiae Cardinalibus, praedictam aulam cultu, ornatuque illustrem, ac pictis tabulis novensilium Caelitum imagines et miracula referentibus insignem, solemnis supplicationis ritu ingressi sumus. Ibi enim dilectus filius No-

ster Card. Angelus Bianchi Canonizationi huic procurandae praepositus, per dilectum filium Philippum Gioazzini Consistorialis aulae advocatum, tum virorum dignitate insignium, tum universae Societatis Iesu vota ad Nos detulit, ut tandem praeclarissimi huius Beati memoria solemniori religionis ritu consecraretur. Quod cum iterum ac tertio ab ipso postulatum esset, Nos Paracliti Spiritus lumine, et Beatae Mariae Virginis, et Angelorum et Sanctorum omnium patrocinio implorato, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei, et christiani nominis incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita, venerabilium Fratrum Nostrorum s. romanae Ecclesiae Cardinalium atque Episcoporum in Urbe existentium suffragio, Beatum Alphonsum Rodriguez coadiutorem temporalem formatum Societatis Iesu, una cum septem Beatis fundatoribus Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, nec non Beatis Petro Claver Nigritarum Apostolo sacerdote professo et Beato Ioanne Berchmans scholastico praedictae Societatis, Sanctorum numero adscripsimus; statuentes Sancti Alphonsi memoriam, quolibet anno die trigesima Octobris esse recolendam.

Deinde solitas indulgentias largiti, non modo Venerabiles Fratres Nostros, sed etiam frequentissimos fideles allocuti sumus, eos hortantes in Domino ut tantum gaudium Nobiscum participarent, ac novensilium Caelitum exempla imitati, cum iis tandem, Deo iuvante, per-

petua beatitate fruerentur in caelis. Denique de hisce omnibus litteras Apostolicas sub plumbo expediri mandavimus.

Christifideles hortatur ut exemplo S. Alphonsi excitati Iesum Christum fidei et caritatis affectu vehementiori imitentur.

Quae cum vobis nunciata fuerint, fideles, primum Deo optimo maximo gratias agite, qui mirabilis est in Sanctis suis: deinde tanti viri exemplo excitati atque erecti, vividiore fidei luce ac vehementiori caritatis affectu novensilem Sanctum in Domini nostri Iesu Christi imitatione aemulari satagite. Utinam qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illucescat in cordibus vestris, quemadmodum illuxit in Sancto Alphonso, et cuncti abdicantes occulta dedecoris, non ambulemus in astutiis, neque adulteremus verbum Dei, sed in simplicitate cordis et in caritate, non in sapientia carnali, conversemur in hoc mundo, ut divinae consortes naturae per Dominum nostrum Iesum Christum effici mereamur.

Denunciatio Ecclesiae universae. Fides transumptis habenda.

Omnibus itaque quae inspicienda erant, bene perpensis, ex certa scientia et Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus, universae Ecclesiae catholicae denunciamus, mandantes, ut earumdem praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris litteris praesentibus haberetur, si exhibitae atque ostensae essent.

Sanctio poenalis.

Si quis autem paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei

temerario ausu contraire aut attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo septimo *, undecimo kalendas Februarii, Pontificatus Nostri anno decimo.

* Ex quo Curia Apost. utitur anno ab Incarnat. div. Verbi, qui suum habet initium die 25 Martii; idcirco dicitur 87. ad dictam diem.

EGO LEO CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS



✠ Ego C. Episcopus Ostiensis et Veliternus Card. Sacconi Sac. Collegii Decanus Pro-Datarius.

✠ Ego Ioan. Bapt. Episcopus Portuensis et S. Rufinae Card. Pitra O. S. B.

✠ Ego R. Episcopus Albanensis Card. Monaco La Valletta maior Poenitentiarius.

✠ Ego A. Episcopus Praenestinus Card. Oreglia S. R. E. Camerarius.

✠ Ego A. Episcopus Sabinensis Card. Serafini.

✠ Ego G. tit. S. Callixti Protopresbyter Card. Hohenlohe.

✠ Ego L. tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Bonaparte.

✠ Ego M. tit. S. Mariae in Ara-Coeli Presb. Card. Ledochowski.

✠ Ego Ioan. tit. S. Petri in Vinculis Presb. Card. Simeoni.

✠ Ego L. tit. S. Crucis in Ierusalem Presb. Card. Parocchi.

✠ Ego C. tit. S. Anastasiae Presb. Card. Laurenzi.

✠ Ego A. tit. S. Praxedis Presb. Card. Bianchi.

✠ Ego G. tit. S. Clementis Presb. Card. Sanfelice O. S. B.

✠ Ego Fr. G. tit. SS. Vitalis Gervasii et Protasii Presb. Card. Massaia Ord. Cap.

✠ Ego P. tit. S. Stephani in Monte Caelio Presb. Card. Melchers.

✠ Ego Plac. M.ª tit. SS. Ioannis et Pauli Presb. Card. Schiaffino.

✠ Ego S. tit. S. Sabinae Presb. Card. Vannutelli.

✠ Ego C. tit. S. Thomae in Parione Presb. Card. Aloisi-Masella.

✠ Ego M. tit. S. Caeciliae Presb. Card. Rampolla del Tindaro.

✠ Ego Th. S. Laurentii in Damaso Protodiaconus Card. Mertel Vice-Cancellarius.

✠ Ego Ios. S. Agathae ad Suburram Diac. Card. Pecci.

✠ Ego Ios. S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Hergenroether.

✠ Ego Fr. Th. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Zigliara Ord. Praed.

✠ Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Ricci-Paracciani.

✠ Ego I. S. Caesarei Diac. Card. Masotti.

✠ Ego I. S. Angeli in foro Piscium Diac. Card. Verga.
✠ Ego C. SS. Viti et Modesti Diac. Card. Cristofori.
✠ Ego A. S. Mariae de Scala Diac. Card. Theodoli.
✠ Ego C. S. Adriani Diac. Card. Mazzella S. I.
✠ Ego A. S. Mariae ad Martyres Diac. Card. Pallotti.
✠ Ego Fr. Aug. S. Mariae in Domnica Diac. Card. Bausa Ord. Praed.

C. Card. SACCONI Pro-Dat. - M. Card. LEDOCHOWSKI

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cugnonius

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS VENERABILI DEI FAMULO FELICI A NICOSIA BEATORUM CAELITUM HONORES DECERNUNTUR.

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Mites atque humiles corde ita diligit, qui omnia potest, Deus, cuius « voluntas in iis » est « qui simpliciter ambulant », ut saepenumero ex hominibus humili loco natis, qui neque ingenio, neque divitiis, neque ulla alia ex iis opibus pollent, quae auctoritatem inter homines conciliant, eos secernit, quibus mirabiliora gratiae suae dona communicat. Atque hi sane sunt de quibus Apostolus ait: « Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum » (II Cor. VII, 2). Foecunda sanctorum parens Capulatorum Fratrum Ordinis S. Francisci Assisiensis familia, altissimam illam proferens paupertatem, plures e gremio suo edidit filios huiusmodi candidae simplicitatis speciem prae se ferentes quam divina sapientia commen-

dat. Felicem a Cantalicio, Seraphinum a Monte Granario, Bernardum ab Offida, Crispinum Viterbiensem, aliosque qui parentis sanctissimi vestigia legentes, eius ornamentum atque corona sunt. His autem modo, iure et merito accensendus est venerabilis Dei famulus Felix a Nicosia qui sanctis illis sodalibus suis haud impar ad propriam sanctitatis famam, quam Franciscus parens designavit, totius vitae rationem indefesso studio composuit. Hic Nicosiae in Sicilia nonis Novembris anno reparatae salutis MDCCXV natus, parentes habuit religione magis et morum honestate, quam opibus praestantes: pater enim eius Amuruso, sutoriae artis exercitio, victum sibi suisque comparabat. Iacobi nomine in baptismate appellatus, et ab optima genitrice catholicae religionis rudimenta edoctus, a primae aetatis diluculo ea praebuit divinae dilectionis argumenta, ut intelligi facile posset ad altissimum virtutis gradum eum esse perventurum. Quare a puerilibus alienus et aequalium consuetudinem effugiens, pias exercitationes tantum in deliciis habuit. Officinae sutoriae addictus, opus sibi commissum sedulo perficere studuit quin et sodales tum verbo et exemplo ad christianae pietatis opera allicere, quidquid vero supererat temporis piis precationibus impendere et divinis mysteriis meditandis, aliisque pietatis ac religionis muneribus exercendis egregiae indolis adolescens vacare consuevit. Simplicitate atque asperitate vitae Capulatorum Fratrum illectus, saepius illorum Ecclesiam adire coepit; postea animo repetens mundi pericula, in religiosam Ordinis illius familiam admitti postulavit, et

cum vigesimum octavum aetatis annum ageret, voti compos factus, Felicis nomen adscivit. Inter tirones adlectus, tale integritatis, morum innocentiae, pietatis obedientiaeque specimen dedit, ut post annum unanimi suffragantium consensu in sacrum eumdem Ordinem cooptari meruerit. Quae solemnium votorum religione promiserat, ita sancte servavit, ut nemo esset praepositorum suorum dicto audientior, nemo castitatis et paupertatis amantior, nemo insuper cibi parcior et somni, diligentior nemo in officiis, qualiacumque sibi committerentur, obeundis. Exinde peccatum vel levissimum totius vitae curriculo tam diligenter vitavit, ut nihil in eo cum se sacerdoti sisteret, expiatione dignum videretur. Diebus fere singulis Sanctissimi Christi corpore ferventissima pietate reficiebatur, sacris quotquot poterat mira sedulitate inserviebat, diurnas preces noctu protrahebat, perpaucas horas somno super humo indulgens, tantoque erga Deum amore inflammabatur ut caelestis ille ignis ex ore ipso atque oculis emicaret. Religiosae disciplinae custos integerrimus ne in minimis quidem vitae actibus illi unquam defuit. Dum inter cives atque oppidanos stipem emendicaret, candore animi et omnigenae virtutis exemplis alios a vitae pravitate avocavit, alios ad alacriorem Christianae probitatis amorem feliciter excivit. Summa erga fratres charitate incensus, nihil laboris, nihil curarum unquam recusavit, ut aeternae eorum saluti consuleret, aerumnas pauperum levaret, moerentium animos verborum suavitate erigeret, aegrotantium dolores tenerrima cordis miseratione recrearet. Domini Nostri Iesu

Christi vitae exempla et extremos, quos passus est, pro nostra salute cruciatus, intentius meditatus, corpus vigiliis, abstinentia, ciliciis, flagellis domuit, et perpetuae castitatis votum sic iugiter asservavit, ut caelestis Sponsus, qui pascitur inter lilia, certam in eo sedem delegisse videretur. Cum tot floreret virtutum opibus et ab omnibus magno in pretio haberetur, vilissimam tamen sui opinionem fovit. Nullius criminis sibi conscius, constanter tamen sese scelestissimum esse et peccatorem maximum diiudicabat et asserebat, humanasque laudes gentisque plausus et aestimationem fastidiens, contemni et pro nihilo haberi unice peroptabat. Idcirco tanto acerbiorem severitatem, qua moderatores persaepe eum vel reprehendebant, vel increpabant, vel etiam iuflictis poenis castigabant, laeto semper animo tulit, utpote qui sibi plane mortuus, non ipse amplius, sed in eo Christus vivere videbatur. Interea cum per assiduam virtutum omnium et patientiae potissimum exercitationem, supremum virtutis gradum consecutus esset Felix, illum Deus supernis charismatum donis cumulatissime ornatum, hominibus ostendere voluit prophetiae et cordium perscrutationis, et plurima operandi miracula virtutem ei largitus. Quare confracta vasa solo restaurat attactu, aquam e puteo canestris haurit, corruptum vinum in optimum convertit, urbem contagione liberat, claudum sanat, petras in panem, aquam in vinum vertit, incendia extinguit, messes multiplicat, serpentes agros infestantes dissipat, illaesus per flammas discurrit. Porro tot tantisque virtutibus insignem,

et supernis muneribus tam abunde ditatum virum non vulgus modo sed etiam homines doctrina pietate, prudentia ac dignitate praestantes unanimi sententia sanctum asserebant et proclamabant. Illum cuiuscumque ordinis et conditionis viri, ac mulieres, cum dubii haererent, aut animo angerentur consilii inopes adibant, illum aegroti advocabant, certam ex sua praesentia sibi pollicentes corporis valetudinem; neque idcirco Dei famulus qua erat animi demissione efferebatur, sed quo sublimius opinione hominum attollebatur, eo de se abiectius sentiebat. Haec fuit viri sanctissimi vita, donec illum septuagesimum aetatis annum praetergressum, labores, asperitates et diuturna ieiunia in extremam infirmitatem impulere. Mors vero innocentissimae vitae consentanea fuit. Nam toleratis patienti atque iucundo animo diris acerbisque morbi cruciatibus et augustissimo Sacramento, pro summa reverentia, flexis genibus recepto, pridie kal. Iun. anno MDCCLXXVII, postquam caelesti lumine, quem ardenter optaverat vitae exitum adventare novit, cupiens dissolvi et esse cum Christo, ter coenobii Praepositum ab hoc mundo discedendi veniam flagitavit, eaque tandem impetrata, animam efflavit, tanta vultus hilaritate, ut non e vita migrare, sed e vinculis erumpere videretur. Postquam venerabilis Dei servus mortalem hanc vitam cum beata commutavit, quae de illo vivente precrebuerat sanctitatis fama, aucta magis atque diffusa est, accedente celebritate prodigiorum quae a Deo patrata illius invocatione ferebantur. Quamobrem de venerabilis Dei famuli eiusdem vita ac virtuti-

bus delata causa est ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris tuendis Ritibus Praepositorum, rebusque omnibus maturo iudicio ponderatis, virtutes quibus idem Dei Servus inclaruerat, heroicum attigisse culmen decrevit Pius PP. IX, recol. mem. Decessor Noster quarto Nonas Martias anni MDCCCLXII. Postea alio diligenti examine instituto de miraculis, quibus illius heroica virtus confirmari videbatur, cum duo ex illis vera atque explorata iudicata fuerint, Nos de veritate eorumdem decretum edidimus, undecimo kalendas Decembris anni MDCCCLXXXVI. Demum cum supradictae sacrorum Rituum Congregationis Cardinales in generali conventu coram Nobis habito decimo tertio kalendas Maias superioris anni, unanimi consensu existimaverint, tuto ipsum venerabilem Dei famulum inter Beatos recenseri posse; Nos in tanti momenti re, Nostram pandere mentem distulimus, donec ferventi prece a Patre luminum subsidium, opemque posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem kalendis Novembribus eiusdem superioris anni MDCCCLXXXVII, sollemni decreto pronunciavimus procedi tuto posse ad sollemnem venerabilis Fratris Felicis a Nicosia Beatificationem. Quae cum ita sint, universi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capulatorum supplicationibus permoti, de memoratae Congregationis Cardinalium consilio et assensu, auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi facultatem facimus, ut venerabilis Dei famulus Félix a Nicosia ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci Capulatorum Beati

nomine in posterum nuncupetur, eiusque Lipsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur et imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illo recitetur quotannis Officium et Missa de communi Confessorum non Pontificum, cum Orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem et Missae celebrationem fieri dumtaxat concedimus in civitate et dioecesi Nicosiensi seu Herbitensi, necnon in omnibus templi et religiosis domibus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capulatorum, ab omnibus christifidelibus qui horas canonicas recitare teneantur; et quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus, ad Ecclesias in quibus festum agitur, confluentibus. Denique concedimus, ut sollemnia Beatificationis venerabilis Fratris Felicis a Nicosia in templis supradictis celebrentur, cum Officio et Missis duplicis maioris ritus; quod fieri praecipimus die per Ordinarium praefinienda, intra primum annum postquam eadem sollemnia ob temporum conditionem in aula superiori porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii supradictae Congregationis sacris Ritibus praepositae subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus

etiam iudicialibus habeatur quae Nostrae voluntatis significationis hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die III Februarii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno decimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

LITTERAE APOSTOLICAE

DE BEATIFICATIONE VENERABILIS SERVI DEI
AEGIDII MARIAE A S. IOSEPHO.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum Dei Verbum humanam naturam ineffabili caritatis consilio suscepit, ita se ad nostram conditionem abiecit, ut non solum « formam servi » prout ait Apostolus, « accipiens, semetipsum exinaniret », sed illud Isaiae praeferens « opprobrium hominum, et abiectio plebis » quidquid inter homines humile magis excogitari potest, ut propriam partem, sibi eligere voluerit. Hinc inter coetera bona homines et istud consecuti sunt, ut divini exempli lumine collustrati, uti grande et caeleste colere inciperent, quod antea vitii loco habuerant, et Christi Ecclesia innumeros omni aetate protulerit viros, qui despectui habentes quidquid fastum et saeculi vanitatem sapit, Crucis Christi ignominiam amplecterentur, sibique gloriae ducerent inter opprobria et contemptus christianam humilitatem profiteri. Iamvero inter eximios humilitatis cultores probe

adnumerandus est venerabilis Dei servus Frater Aegidius Maria a S. Iosepho, qui illud Ecclesiastici (III, 20) reapse prae oculis habuit « quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam ». Tarenti a parentibus sane ingloriis, sed pietate illustribus hic ortum duxit XVI kalen. Decembris MDCCXXIX, et Francisci nomine in baptismate est appellatus. Ad omnem pietatem rite institutus, miram quamdam a puero maturitatem, morumque gravitatem praesetulit, adeo ut nil puerile saperet, et tantummodo ea quae ad religionis cultum spectarent diligeret. Franciscus adolescens adhuc cuidam artifici traditus, singulari patientia in opus incumbebat, et aequalibus suis longe anteibat, quos modestia et humanitate ad christianae vitae cultum incitabat. Mane impiger a stratis surgens, sacro intererat, et vespere domum petens, Ecclesias invisens, enixis precibus Deum exorabat. Hinc ut divinis rebus impensius vacaret sodalitati a Sanctissimo Beatae Mariae Virginis Rosario nomen dedit. Qua in Sodalitate tanta morum sanctimonia eluxit, ut singuli eam admirarentur. Interim maiori erga Deum amore flagrans, de capessendo aliquo pio instituto consilium iniit. Votis Deum mirabilem in modum adfuisse vulgatum est; quippe nocte quadam ipsi dormienti caelestes duo viri adesse visi, qui illum ad se perhumaniter invitarent. Mane ad coenobium Fratrum S. Petri de Alcantara pendens animi advolans, vix ad altare maius, dum deprecaretur, oculos sustollens sacras eiusdem S. Petri et S. Paschalis imagines recognovit. Haud pluribus opus, ut ipse inter

Alcantarenses sodales nomen profiteretur suum, atque inter laicos fratres annum agens vigesimum quartum Aegidii Mariae nomine a S. Ioseplio cooptaretur. Tirocinio inito ea sanctimoniae indicia praebuit, ut ad praecipuum virtutis gradum facile eum perventurum intelligi posset. Quo expleto, religiosa vota anno MDCCLV nuncupavit. Exinde ad caelestia incumbere maiore animi contentione incepit. Regulis quippe sui instituti veluti animo insculptis, illis ceu stimulus utebatur, quibus ad rectam agendi normam excitaretur. Quare alacriori in Deum studio ferebatur, Deiparam, castumque eius Sponsum Ioseph vehementius colebat. diu, noctuque ante eorum altaria fervidas preces effundens. Paupertas illi in deliciis erat, ita ut quamvis suis sodalibus eleemosynis corrogatis, omnia quae usui sunt, suppeditaret, sibi tamen nil prorsus reservatum vellet, cubiculo delitescere inopi, obsoleta indutus veste, simplici contentus pane, et aqua sitim restingueret. Praecipuus inerat ei pudor et modestia, quae ex illius vultu enitebat, vernanti in illo iuventutis flore, tamquam Angelus e sidereis sedibus missus videretur. Obedientia erat singulari in minimis etiam rebus humilitate maxima moderatoribus suis obtemperans, illorum voluntatem semper uti unicam suae vitae normam habens. Hinc cuncta quae ad animi demissionem, suique contemptum spectabant, alacriter suscipiebat. Nil enim ei potius erat, quam ut laboriosi humilisque operis occasionem sedulo captaret, modo conclavibus purgandis, modo mensae comparandae, vel eleemosynis colligendis, vel coenobii liminibus

custodiendis. Sed postquam in lucem hominum prodiit, Neapolis eius virtutes maxime suspexit. Non enim aliqua huius civitatis regio, non platea, non domus, vel remotus extitit locus, qui de praeclaris illius gestis conticescere posset. Omnes praesertim effusam illius charitatem summis laudibus celebrabant. Innumera quippe multitudo egenorum extitit, quorum inediam, algorem, nuditatem sublevavit, lacrymas abstersit, angorem recreavit; scilicet illius miseratio nullis evocata precibus ultro calamitosis occurrere consueverat. Humanitate vero tanta enituit, ut homines etiam ferocioris ingenii morum et alloquii suavitate deliniret. Nec illi caelesti lumine illustrato sapientia deerat, qua dissidia amice componeret et difficiliora negotia expediret. Quare Christifideles ad eum accurrebant, atque ipsis nobilibus regalis aulae viris in trepidis rebus eius consilium expetentibus rectam agendi rationem divinitus significabat. Superno prorsus consilio evenisse dicendum est, ut venerabilis Dei servus Neapolis per id tempus moraretur, ubi et pravae doctrinae disseminari coeperant, et morum corruptio propagari, utrique scilicet pesti, tum piis colloquiis, tum vitae sanctioris exemplis occurreret. Sed iam inclinata ad senium aetate et lethali morbo correptus, vitae finem sibi instare prospexit. Nil territus, sed conscientia recte factorum erectus, in Christi ligno affixi, et Deiparae, ac S. Ioseph imagines oculos vertens, eorum adspectu recreari summopere videbatur. Ita sacramentis refectus VII idus Februarii anno MDCCCXII ab huiusce exilii aerumnis ad caelestem

patriam migravit. Quae de eius sanctimonia opinio animis insiderat, post mortem magis magisque aucta est, eamque signa, quae divina virtute. eo invocato, contigisse vulgo edicebantur, incredibiliter amplificarunt. Quare de venerabilis servi Dei vita ac virtutibus causa delata fuit ad Congregationem venerabilium Fratruum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus tuendis praepositorum, rebusque omnibus maturo iudicio perspectis, virtutes, quibus Dei servus inclaruerat, heroicum attigisse culmen decrevit fel. rec. Pius IX Decessor Noster VI kalendas Martias anno MDCCCLXVIII. Dein quaestio acta est de miraculis quibus ven. Aegidii a S. Iosepho virtus confirmari videbatur, ac proinde diligenti examine peracto, cum duo ex illis vera et explorata fuissent iudicata, Nos rite ea probavimus decreto edito IX kalendas Martias anno MDCCCLXXXVI. Tandem nil aliud supererat, nisi, ut de more interrogaretur Sacrum Consilium ritibus legitimis cognoscendis, utrum censeret, ipsum tuto Beatorum albo adscribi posse: id vero peregimus VIII kalendas Iunii an. MDCCCLXXXVI eo Coetu coram Nobis habito, qui unanimi consensione censuit, cum Nobis visum esset, commemoratum Dei servum Beatum posse declarari. Verum in re tanti momenti Nostram mentem pandere distulimus, ut a Patre luminum subsidium ferventibus precibus posceremus. Quo implorato, Dominica ultima post Pentecosten superioris anni, die Praesentationi Beatae Mariae Virginis sacra, solemni decreto pronunciavimus tuto procedi posse ad solemnem venerabilis Aegidii a S. Iose-

pho Beatificationem. Quae cum ita sint, universi Ordinis Fratrum Minorum Excalceatorum strictioris observantiae S. Petri de Alcantara precibus votisque permoti, ex memoratae Congregationis Cardinalium consilio et assensu, auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi facultatem facimus atque impertimur ut idem Dei servus Aegidius Maria a S. Iosepho Beati nomine iu posterum nuncupetur, eiusque corpus et lipsana, seu reliquiae (non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae) publicae fidelium venerationi exponantur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illo recitetur quotannis Officium et Missa de communi Confessorum non Pontificum, cum orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem et Missae celebrationem fieri dumtaxat concedimus in civitatibus et dioecesibus Lyciensi et Tarentina, necnon in omnibus templis et religiosis domibus Fratrum Minorum Excalceatorum strictioris observantiae S. Petri de Alcantara ab omnibus Christi fidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur, confluentibus. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis venerabilis Aegidii a S. Iosepho in templis supradictis celebrentur cum Officio et Missis duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium praefiniendo intra primum annum postquam eadem solemnia, ob temporum conditionem, in aula superiori porticus Basilicae Vatica-

nae celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, modo manu Secretarii dictae Congregationis subscripta et Praefecti sigillo munita sint, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, his litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die III Februarii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno decimo.

M. CARD. LEDOCHOWSKI

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS BIRRETI VIOLACEI COLORIS USUS
UNIVERSIS TERRARUM ORBIS SACRORUM ANTISTITIBUS
CONCEDITUR.

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Praeclaro divinae gratiae munere effectum est, ut sacerdotalis Nostrae consecrationis diem quinquagesimo anno redeuntem frequenti Episcoporum venerabilium Fratrum Nostrorum corona septi, innumero fidelium coetu stipati quin et universo christiano orbe gestiente celebrare potuerimus. Cui tantae celebritati fastigium impositum est maioribus caelitum honoribus, quos divino spiritu adspirante, suprema auctoritate Nostra nonnullis eximiae sanctitatis viris solemni ritu attribuimus. Quae quidem omnia non uno Nobis nomine grata et periucunda fuerunt. Primo enim in spem adducimur fore ut fidelium precibus ac novensilium sanctorum intercessione propitiatus Deus, tot tantisque, quibus humana premitur societas, malis opportuna afferat remedia, optatamque mundo pacem ac tranquillitatem largiatur. Deinde vero ex eo laetamur quod

innumerabiles observantiae et obsequii significationes, quibus Nos toto orbe fideles unanimi consensione prosecuti sunt, tum ostendunt et antiquam pietatem et Apostolicae Sedis amorem christianis pectoribus alte manere defixum, tum in summam venerabilium Fratrum sacrorum Antistitum laudem cedunt, quorum opera ac virtute, in populis sibi commendatis et concreditis, in tanta temporum perversitate, ita viget ac floret catholicae religionis cultus et huic S. Sedi ac Romano Pontifici sunt animi addicti atque coniuncti. Nos ne fausti huius eventus memoria intercidat, atque ut publicum aliquod benevolentiae Nostrae testimonium venerabilibus Fratribus exhibeamus, externo honoris insigni universos terrarum orbis Antistites exornandos censuimus. Quare hisce litteris Apostolica auctoritate Nostra perpetuum in modum concedimus ut universi Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi birreto violacei coloris hoc futurisque temporibus uti libere et licite possint et valeant. Hoc ita illis proprium volumus ut alius qui episcopali dignitate non sit insignitus eiusmodi ornamento nullatenus potiri queat. Non obstantibus Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis, ceterisque omnibus licet speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die III Februarii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno decimo.

M. CARD. LEDOCHOWSKI

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS UNIVERSITATIS VRATISLAVIENSIS THEOLOGICAE FACULTATI IUS LICENTIAE GRADUM ET DOCTORIS LAUREAM CONFERENDI EIUSDEMQUE FACULTATIS DECANO SUO MUNERE IN GRADIBUS CONFERENDIS PERFUNGENTI BIRRETI RUBRI USUS CONCEDITUR.

—

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Cum Nobis exponendum curaverit Venerabilis Frater Georgius Episcopus Vratislaviensis in votis sibi admodum esse, ut theologicae facultati in Vratislaviensi studiorum universitate quo iamdiu ipsa fruebatur conferendi accademicos gradus privilegium Apostolica Nostra auctoritate restituamus, simulque ipsius facultatis decano privilegium concedamus gestandi, quandocumque in huiusmodi gradibus conferendis suo munere defungitur, rubri coloris birretum; Nos quibus nihil antiquius est, neque acceptius, quam ut theologicae institutiones maiora in dies incrementa suscipiant, omnibus rei momentis attente ac mature perpensis, precibus huiusmodi annuendum censuimus. Quam ob rem

omnes et singulos quibus Nostrae hac litterae favent peculiari benevolentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Vratislaviensis studiorum universitatis theologicae facultati, de Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, ius denuo perpetuum in modum concedimus provehendi ad licentiae gradum et doctoris laurea decorandi discipulos; facto antea legitimo periculo, ac eiusdem facultatis decano quandocumque in gradibus conferendis suo munere defungitur, birreti rubri usum concedimus, hisce tamen perpetuo servatis conditionibus ac legibus: nimirum ut antecessores in dictam theologicam facultatem adlecti, docendi munus habeant ab ecclesiastica auctoritate demandatum; iidemque quod ad doctrinam studiorumque rationem theologicorum attinet moderationi et inspectioni ecclesiasticae ipsius auctoritatis obnoxii sint et circa fidei professionem sacrorum canonum praescripta servent; tandem ut theologica laurea a facultate praedicta nequeat conferri, nisi antea venia et potestas singulis vicibus impetrata sit ab Episcopo, cuius etiam erit ius, theses et lucubratas dissertationes inspiciendi, nec non periculorum instituendorum exitum agnoscendi. Pari insuper auctoritate et similiter praesentium tenore Vratislaviensi sacrorum antistiti concedimus, omnes et singulas necessarias, atque opportunas facultates, ut quae superius praescripta sunt suos plenos, atque integros effe-

ctus sortiantur. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non supradictae studiorum universitatis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die x Februarii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno decimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS VENERABILI DEI FAMULO
IOANNI BAPTISTAE DE LA SALLE BEATORUM CAELITUM HONORES TRIBUUNTUR.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Qui doctrinae salutaris lumine rudes atque inscios homines collustrant, ut vitae et veritatis viam ineant, quam praeclaro munere fungantur, quamque insignem aeternae gloriae coronam sint recepturi, divinae litterae nos edocent, cum eos hoc commendant praeconio « Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates » (Dan. xii, 3). Atque hac potissimum corona donandi videntur, qui posthabitis rebus humanis, omnem suam curam, operamque in eo collocant, ut nimirum christiani homines iam inde a pueritia imbuantur Evangelica doctrina et caelestibus iis praeceptis, quae ad vitam recta perducunt. Inter huiusmodi fideles Christi administros mire excelluit saeculo decimo septimo Ioannes Baptista De La Salle, quem providens Deus voluit per id tempus in Ecclesia existere, ut, cum late disseminati

serperent in Gallia Iansenii errores, ipse integritatem fidei et patrimonium christianae sapientiae in iuventute tueretur. Natus est Rhemis in Gallia anno Domini MDCLI Ludovico et Nicolaâ Moet parentibus, qui studium domesticae laudis non tam in nobilitate generis quam in pietate ponebant. In puerulo bona spes et mirifica virtutis indoles, quae non modo nunquam restincta, sed firmata est quotidie magis, praesertim cum tales essent parentes, qui facile nollent a natura seiungi disciplinam. Quapropter non mirum est si Ioannes Baptista ad pietatem excolendam mature animum appulerit, nugas vero, ineptiasque, quibus puerilis aetas delectari maxime solet, iam a teneris annis fastidiverit, sanctorum e contra vitas, atque historias in deliciis habens. Puer enim ad sanctitatem natus iam tum studiose quaerere visus est praestans aliquod exemplar, quod sibi ad imitandum proponeret. Naturae interea virtus moribus perfìciebatur: parentibus ita obsequi, ut ne leviter quidem de eo queri possent: periculosis coetibus et ludis abstinere, templa frequens adire, rei divinae non adstare solum, sed perlitanti sacerdoti rite inservire, omnia denique pietatis officia persolvere sic ad pietatem compositus, ut caeteris exemplo esset. Quum vero per aetatem licuit, celebrare scholas coepit, in quibus specimen dedit sane optimum et animi et ingenii. Non minus enim parandis virtutibus quam litteris addiscendis operam navavit, tanta vero sedulitate et solertia, ut aequalibus suis in exemplum praeluxerit, magistrorum expectationem longe superaverit. Ut primum e

pueris excessit, quum se divino quodam instinctu ad sacerdotium sentiret impelli, data a parentibus venia, ab Archiepiscopo Rhemensi impetravit, ut in clericorum numerum adsciseeretur. Tum probe intelligens, quae praestanda sint officia ab iis qui vocati sint in sortem Domini, eam amplexus est vitae rationem, qua plane videbatur omnibus iam ille singulari virtutum excellentia praeludere, quam postea est consequutus. Vita tam sancte instituta quantam ei existimationem pepererit, vel ex eo coniici potest, quod cum quidam Archidiaconus, beneficio, quo in aede Metropolitana cum Canonici titulo fruebatur, se abdicare vellet, Ioannem Baptistam sponte delegit, cui conferretur. Neque vero opinio de adolescente hominem fefellit: quoniam ille inter Canonicos cooptatus, adeo fuit officii memor, ut et ornamento collegis esset et exemplo. Interea curriculo litterarum emenso ad severiorum disciplinarum studium alacriter sese contulit. In Rhemensi enim Athenaeo philosophiae lauream summa ingenii laude meritus est, et cum Theologiae operam dare cuperet, facta facultate, Lutetiam Parisiorum est profectus, ibique in florentissimo Sancti Sulpicii Seminario, tanquam in pernobili virtutis et doctrinae palestra laudum optimi cuiusque brevi aemulator extitit. Profecto facile existimari potest, quanta contentione homo constantis ingenii excolendique animi cupidus ad Theologiae et sacrarum litterarum studium incumberet, et quam avide ex divinis hisce fontibus sapientiam hauriret. Quapropter magna doctrinae supellectile instructus Rhemos in patriam

revertitur, atque ibi quum annos ad XXVII natus esset, pridie diei Paschatis, sacerdotio initiatus est. Tum vero apud se reputans non amplius se sui iuris, sed Dei proprium esse quasi mancipio et nexu, se totum eius gloriae et proximorum saluti tradere planeque devovere constituit. Quamobrem nullum sane est onus, quod Dei caussa sibi non suscipiendum existimet; nullum sacri muneris officium, quo sacerdos novensilis non naviter, integre defungatur. Proinde divino cultui provehendo sedulam dare operam; de catholicae fidei veritate crebras ad populum habere conciones; curare diligenter ne Ianseniani contagione sua ceteros christianos labefacerent; poenitentiae Sacramentum, quo nihil est humano generi salutarius, assidue administrare; visere demum aegrotos, solari calamitosos, consilio, opera, prout res postulabat, proximos quotidie iuvare. Quoniam vero compertum habuerat populum in sacerdotes tanquam in specula oculos coniicere, eorumque mores plusquam praecepta valere ad disciplinam, talem se praebere studuit, qualem olim Paulus voluerat se praestitisse Titum: « in omnibus temetipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. » Verum in Ioanne Baptista eximia omnino, et singularis laus fuit, atque inter ceteras virtutes eius mirabiliter eluxit summa aequanimitas cum fere incredibili constantia et firmitate animi coniuncta. Ex quo quidem factum est, ut postea in explendo munere sibi a Deo assignato, omnia adversa quiete patienterque pertulerit, et a magnis difficultatibus, in quas saepe

incurrit, nunquam sit deterritus. Sed divinae providentiae numen cito caussam obtulit pientissimo viro, cur ille manum admoveret operi, quod vim beneficiorum christianae civilique reipublicae attulit maximam, et gloriam nominis eius ad posteritatem consecravit. Etenim quum aliquot scholis ad institutionem puellarum antea, postea puerorum inopum inchoatis potius, quam constitutis praeficeretur, ipse ad salutem animarum prudens vidit planeque sensit quanta utilitas ex iis manare potuisset in populum, si huiusmodi scholas certis institutis et legibus regerent viri divino cultui addicti atque in hanc curam unice intenti. Idcirco a Deo optimorum consiliorum auctore ope implorata, mentem voluntatemque suscepit instituendi Collegium magistrorum, qui pueros maxime e plebe ad religionem probosque mores, et ad rudimenta litterarum informarent. Neque mora interposita suam ipsius domum vult prima incunabula praebere operi, in qua magistri tyrocinio posito ad eam pietatem ac disciplinam erudiantur, quam posthac peregre missi pueris impertiant. Itaque nonnullos bonae spei adolescentes elegit iam alumnos disciplinae suae, quibus docendi methodum traderet, altricemque domum VIII kal. Iulias anno MDCLXXXI Dei auspicio et numine dedicavit. Humani generis hostis, quasi futura praesentiens, consiliis coeptisque huiusmodi acriter intercessit, quin tamen se flecti Ioannes Baptista, deque sententia incoeptoque dimoveri sineret. Immo vero etiam cum nascentis Congregationis fama percrebresceret, iuvenesque tradendi se in disciplinam sancti viri cupidos com-

plures arcesseret, ipse alumnorum numerum auxit, et in ampliori domo sedem instituti stabilem collocavit. Neque est civili societati desideratus diu uber et praestans operae fructus. Etenim brevi interiecto annorum spatio, cum illi puerorum erudiendorum rationem iam satis iniissent, non modo Rhemis, sed aliis etiam in oppidis Galliae scholas aperuerunt ad normam quam erant edocti. Solers vir, ut christianae puerorum institutioni se penitus dederet, ab omni rerum humanarum cura et cogitatione se abduxit, ac sibi dictam interpretatus eam Evangelii sententiam « nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris », divenditis omnibus bonis, quidquid pecuniae redegerat dispersit, dedit pauperibus, sibique et Congregationi suae sociam comitemque constituit paupertatem. Sed quo plus Ioannes Baptista se terrestribus despoliaverat, eo largius illi divinae bonitatis dona affluxerunt. Omnibus enim negotiis expeditus, vehementiorem concepit animo charitatem, acriusque exarsit in studia virtutum, ad quae non solum contendit ipse, sed etiam discipulos suos exemplo provocavit. Eorum autem vitae disciplinam et scholarum rationem cum certam et stabilitam esse vellet, propterea leges scivit Evangelii praeceptis apprime consentaneas, quas auctoritas et iudicium sapientium virorum antea probavit, successus deinde atque experimentum amplissime confirmavit. Cum vero litterarum primordiis pueros diligentissime imbui voluit, nihil curavit magis atque in oculis habuit, quam ut teneris animis per christianam doctrinam Evangelicae veri-

tatis lumen affulgeret. Constat tot tantisque curis et laboribus industrii viri fructus sane copiosos respondisse. Verum iampridem desiderium ingens eum incesserat communicandi huiusmodi utilitates atque fructus cum Gallia universa, propterea, non sine providentis Dei consilio, cum duobus alumnis suis Lutetiam se contulit. Vixdum operi sese accinxerat, incredibile fere est, quam repentina atque atrox molestiarum tempestas coorta sit, et quam acerbe et contumeliose inveherentur in eum Ianseniani. Accessit etiam quod initio puerilis huius institutionis gravia quoque impedimenta illata sint, a quibus minime debuissent. Ille tamen illusus, iactatus iniuriis, vexatus ignominia calumniae, deductus in iudicium, pecunia mulctatus, ad ludibrium positus procacitatis impudentiaeque ludimagistrorum, omnia pertulit, omnia exorbuit animo non minus aequo quam invicto. Profecto ex singulari, intimoque nexu, quo erat cum Ecclesia Romana devinctus, saepe graves subiit improborum offensiones et odia. Sed ille plane intelligens ex hac Petri Cathedra, tanquam ex stirpe ad ramos, ad singulas christianas institutiones principium vitae et viriditatis affluere, se suamque Congregationem tutelae Romanorum Pontificum commendavit. Quod quidem luculenter testatur legatio ad Clementem XI decessorem Nostrum missa, ut obsequium coram profiteretur, instituti rationem exponeret, scholam in urbe aperiret et regulas auctoritati Pontificis Maximi subiiceret. Cum sibi interea videretur operis tutelae et conservationi satis consultum, a Congregationis

gubernaculo, id quod propter magnam animi demissionem non semel tentaverat, recedere decrevit. Rem vero ita dexter egit, ut fieret voti compos, et qui Congregationis auctor et moderator extiterat, discipulorum suorum pareret imperio. Plurima tamen cum adhuc esset in eo auctoritas, ea sic usus est, ut nihil inde adeptus sit commodi, difficultates vero, labores, molestias, et qui paullo post concitati sunt fluctus, omnes in eum redundantes susceperit. Dei tamen fiducia et conscientiae testimonio fretus, saeviente extrinsecus procella, animi servavit aequabilitatem, et cum magis omnigenis eiusmodi molestiis premeretur, extremo morbo correptus, intra paucos dies placidissimo exitu spiritum efflavit. Obeunte ipso non quidem exaruit fons rerum salutarium, quas instituerat, immo vero ad perennitatem manans, et in plurimos quasi rivulos per universas orbis terrarum partes deductus, copiose irrigat Ecclesiam. Magna interea cum iam esset virtutum commendatio, tum post eius obitum aucta magis est ac latius diffusa. Quapropter fel. rec. Pio IX decessore Nostro Pontifice Maximo, absolutis omnibus, quae in huiusmodi iudicio erant necessaria, in Congregatione Cardinalium sacris Ritibus praepositorum disceptari coeptum est de virtutibus, quibus venerabilis Ioannes Baptista De La Salle inclaruit, easque de eiusdem Congregationis assensu, heroicum attigisse culmen declaravit idem decessor noster kalendis Novembribus anni MDCCCLXXIII. Postea quaestio agitata est de miraculis, quae venerabili Ioanne Baptista De La Salle deprecante, a Deo patrata

ferebantur, rebusque omnibus severissimo iudicio ponderatis, tria miracula vera et explorata sunt habita; ideoque Nos kalendis Novembribus anni MDCCCLXXXVII decretum edidimus de eorumdem miraculorum veritate, atque ad ulteriora procedi concessimus, quin esset necesse ad alterius miraculi pervestigationem venire. Illud supererat, ut dictae Congregationis Cardinales rogarentur, num tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores venerabili Ioanni Baptistae De La Salle decernendos; iique in generali conventu coram Nobis habito XVII kalendas Decembres anni MDCCCLXXXVII tuto id fieri posse unanimi consensione responderunt. Nos tamen in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus a patre luminum subsidium posceremus. Quo facto tandem V kalendas Decembris anni MDCCCLXXXVII solemni decreto pronunciavimus procedi tuto posse ad solemnem venerabilis Ioannis Baptistae De La Salle Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos precibus permoti universae Congregationis Fratrum Scholarum Christianarum, auctoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi facultatem facimus, ut idem venerabilis Dei servus Ioannes Baptista De La Salle beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra Apostolica concedimus, ut de illo recitetur Officium et Missa singulis annis de communi Confessorum cum orationibus propriis per Nos approbatis,

iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in civitatibus et dioecesibus Rothomagensi, Rhemensi et Parisiensi, templisque omnibus atque oratoriis piarum domorum Congregationis Fratrum Scholarum Christianarum ab omnibus Christifidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus, quam regularibus, ad Ecclesias in quibus festum agitur confluentibus. Denique concedimus, ut sollemnia Beatificationis venerabili Ioannis Baptistae De La Salle in templis supradictis celebrentur cum Officio et Missa duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarios respective designanda, intra annum, postquam eadem sollemnia ob temporum conditiones in aula superiori porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii supradictae Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XIV Februarii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno decimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

LITTERAE APOSTOLICAE

DE BEATIFICATIONE VENERABILIS SERVAE DEI IOSEPHAE MARIAE A S. AGNETE.

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Virgineum illud agmen, quod Ioannes vidit sequi « Agnum quocumque ierit » et dulcissimum audivit edere canticum « quod nemo poterat dicere » eo profecto spectabat, ut singulare evangelicae gratiae munus compertum esset hominibus, et suaderetur pura omnino atque intemerata virginitas, vivendi scilicet ratio angelicae potius quam humanae naturae consentanea. Iam inde ab exordio christiani nominis purpureis martyrum rosis intertexta sunt virginum lilia, ita ut splendidissima ex iis necteretur corona, qua potissimum redimiri gaudet Ecclesia: unde vere Cyprianus « floribus eius nec rosae, nec lilia desunt ». In istiusmodi virginum choro praeclare excelluit saeculo decimo septimo venerabilis Dei famula Iosepha Maria a Sancta Agnete, quae, restincto caducarum voluptatum ardore, mundanis nuptiis caelestes antetulit. Faecunda sanctorum parens atque altrix Hispania praebuit illi natale solum: orta est enim in oppido Valentiae citimo, cui no-

men « Beniganim » v idus Februarias anno MDCXXV parentibus Aloisio Albiñana, et Vincentia Gomar, qui si minus rei familiaris facultatibus, nobilitate tamen generis, honestaeque vitae laude inter municipes suos facile praestabant. Opportune ei obtigit, ut pietatem quasi cum lacte hauriret, ad eamque non minus institutione exemploque optimorum parentum, quam suapte natura provocaretur. De prima Iosephae pueritia memoriae proditum est, egregiam animi indolem ex toto corporis habitu, praesertim ex ore vultuque adeo emicuisse, ut iam tum magnam de se spem et expectationem concitaret. Paullo grandior nata accepta a parentibus virtutum documenta moribus confirmavit. Aequalium suarum coetibus abstinere; pie sancteque Deum colere, et sacris interesse frequens; domi in secretum seducta, nixaque genibus rerum caelestium contemplatione animum pascere; ad continendas cupiditates innocenti sibi poenas irrogare; parentibus tam esse obsequens, quam qui maxime; omnia christiana officia persolvere sic ad modestiam composita, ut aequales exemplo eius permotae ad pietatem incitarentur. Mirifica vero, qua semper exarsit, in Deum charitas, cum diutius caelestis convivii Iosepham expertem esse non sineret, superno perfusa gaudio ad synaxim accessit, atque omnia tunc ipsa quidem conata est, ut possideret Dominum et possideretur a Domino. Qui sane eam in deliciis habuisse visus est, tum ob animi candorem intemeratum, tum ob ingenuam simplicitatem, quae totam eius vitam purissimo quodam lumine illustravit; scriptum nempe legimus « et

cum simplicibus sermocinatio eius ». Singulari item pietate in magnam Dei Parentem ferebatur, cuius praeclarissimas virtutes sibi proponens, animum et mentem suam earum cogitatione indefesse studuit conformare. At non semel postea pia adolescentula in fide tutelaque Augustae Virginis se esse sensit, tum nominatim, cum demortuo patre necessarii cuiusdam sui domum deducta esset a matre. Etenim cum ibi rei domesticae praeesset, ac propterea familiae eorumque, qui domum ventitabant, in consuetudine versaretur, Deiparae praesidio freta, talem se impertiit, ut morum severitate modestiaque sua intuentium animos ad castimoniam alliceret. Quod siquid aliquando minus caste dictum inaudiret, vel si quem procaciorem in officio continere non posset, continuo proripiebat se fuga, doloremque animi oris verecundia significabat. Quibus e rebus mature intelligens, quot et quanta moliatur quotidie mundus pudicitiae pericula, pia atque humili prece Deum implorare coepit, uti se in monasterium Sororum Augustinianarum in patria positum, tanquam in portum perfugiumque recipere vellet, ubi quod ei ultro spoponderat sacramenti religione confirmaret. Propitius occurrit Deus precibus, votisque pientissimae puellae, amotisque omnibus impedimentis perfectiorem vitam ineuntibus obsistere solitis, brevi effecit, ut Iosepha annum agens aetatis suae duodevicesimum in sacrarum virginum numerum adscisceretur. Tum vero arctiori nexu se Deo devinctam esse sentiens tam inflammato studio novam vivendi rationem ingressa est, tantaque contentione

animo excolendo dedit operam, ut tiruncula peradolescens religiosis sororibus in exemplum praeluxerit. Postquam autem voluntariam castimoniam voti religione sancivit, ad monasticae disciplinae normam quam diligentissime vitam instituit. Sed praeter pietatis officia reliquis communia, quaedam sibi Iosepha depoposcit propria ac singularia. Non modo Antistitae, verum etiam humiliori cuique sorori morem gerere: laeta, atque alacris ad ministeria vel infima praesto esse, summa erga proximos caritate ardens aeternum a sontibus supplicium deprecari: saepe ad multam noctem adoratum ire Sacramentum Augustum, Divinumque Numen maledictis lacessitum, obsecratione et lacrimis placare: flagellis se caedere: a cibo potuque summa parsimonia abstinere. Dum illa virginitatis suae decus tot virtutum laude cumularet et ad singularem simplicitatem morumque candorem tantum adiiceret pietatis studium, voluit Deus quasi quodam in praelio omnes famulae suae vires periclitari. Qua de re haud semel posthac saevis vexata est tentationibus morbisque correpta et diutinis et gravibus: illud etiam accidit, ut affecta improviso linguae stupore obmutesceret per trium annorum spatium, ita tamen, ut solemnioribus anni diebus loquela uteretur et de rebus caelestibus disertissimos haberet sermones. Verum Divinus Amator Iosephae animo quasi per ignem severius purgando eam munerum suorum dulcedine perfundere desiit et sese ab ea quodammodo abduxit. Ipsa tamen ut aegri corporis morbos, sic oblanguentis animi angorem patienter pertulit, etsi hic et acerbior erat et insolitus.

Sedata tamen Dei beneficio tanta tempestate, caelestibus recreari deliciis uberrime coepit et superum gaudia, quibus iam matura erat, praegustare. Relatum etiam legitur divinitus accidisse non pauca ad illustrandas Iosephae virtutes: etenim saepe et persensit futura, et vehementi cogitatione in Deum defixa sensuque corporis abstracta ad caelestes visiones rapta est. Quapropter non mirum est, si viri Regii sanguinis, vel nobilitate et auctoritate praestantes virginis consilia peterent eiusque pietati se maxime commendarent. Ita virtutum omnium exercitatione perfecta ac singularibus a Deo cumulata donis Sororum oculos et externorum etiam in se convertens, neque animum unquam a certamine labentibus annis molestiisque ingravescentibus laxans, vitam virgineo splendore nitentem ad senectutem usque perduxit, ac demum gravi morbo afflictata die sanctae Agneti Virgini et Martyri, quam singularem patronam sibi constituerat, summo omnium bonorum moerore atque inter religiosarum sororum lacrimas ad caelestes advolavit. Quae iam de illius sanctitate fama longe lateque manabat, magis magisque post eius mortem percrebuit. Quapropter Gregorio XVI Pontifice Maximo, absolutis omnibus, quae in huiusmodi iudicio erant necessaria, in Congregatione Cardinalium sacris ritibus tuendis praepositorum disceptari coeptum est de virtutibus, quibus venerabilis Iosepha Maria a S. Agnete inclaruisset, easque de eiusdem Congregationis assensu heroicum attigisse culmen decrevit idem Decessor Noster Gregorius XVI die XIV kalendas Septembris anno MDCCCXXXVIII.

Postea quaestio agitata est de miraculis quae, venerabili Iosepha Maria a S. Agnete deprecante, a Deo patrata ferebantur, rebusque omnibus severissimo iudicio ponderatis, duo miracula vera et explorata sunt habita: ideoque Nos nono kalendas Martias anno MDCCCLXXXVI decretum edidimus de eorumdem miraculorum veritate. Illud supererat, ut dictae Congregationis Cardinales rogarentur, num tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores venerabili Iosephae Mariae a S. Agnete decernendos, iique in generali conventu coram Nobis habito die VIII Iunii MDCCCLXXXVI tuto id fieri posse unanimi consensione responderunt. Attamen Nos in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem XI kalendas Decembris eiusdem anni MDCCCLXXXVI solemni decreto pronunciavimus procedi tuto posse ad solemnem venerabilis Iosephae Mariae a S. Agnete Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos precibus permoti universi Ordinis Eremitarum excalceatorum S. Augustini, auctoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi facultatem facimus, ut eadem venerabilis Dei famula Iosepha Maria a S. Agnete Beatae nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lipsana, seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illa recitetur Officium et Missa singulis annis de communi Virginum cum oratione propria per Nos ap-

probatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Eiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus « Beniganim » in oppido dioecesis Valentinae, itemque omnibus in templis religiosarum domorum, ubi constituti reperiuntur fratres Ordinis Eremitarum Excalceatorum S. Augustini, vel moniales eiusdem Ordinis ab omnibus Christifidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur; et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, confluentibus. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis venerabilis Iosephae Mariae a S. Agnete in templis supradictis celebrentur cum Officio et Missis duplicis maioris ritus; quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium praefinienda intra primum annum ab iisdem solemniis in aula superioris porticus Basilicae Vaticanae ob temporum vicissitudines celebrandis. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii supradictae Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXI Februarii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

DECRETUM

DE INSULA MARIANA
DIOECESI S. DIONYSII REUNIONIS RURSUM UNIENDA.

Mariana insula a Madagascaria non dissita et iam addicta dioecesi Sancti Dionysii insulae Reunionis, deinde vero ad aliquod tempus subiecta Praefecturae de Propaganda Fide moderanti insulas *Mayotte* et *Nossi-Bè,* petiit nunc a SSm̃o Domino Nostro Leone XIII ab ista Praefectura seiungi et rursum uniri dioecesi S. Dionysii Reunionis tum quia propioris et facilioris aditus, tum quia commodioris ad commercii relationes. Hisce motus rationibus benigne SSm̃us annuit petitioni ac mandavit:

I.

Insula Mariana prope Madagascariam a Praefectura Congregationis de Propaganda Fide eximatur et dismembretur, rursumque uniatur et incorporetur dioecesi S. Dionysii Reunionis.

II.

Utriusque sexus Christifideles memoratam insulam Marianam incolentes, demptis, si qui sunt, qui singulari fruantur exceptione, cum suis circumsitis locis, si quae sunt, adnexisque rebus, dioecesi S. Dionysii (seu Reunionis) addicantur regendi ac gubernandi ab eius Ordinario Antistite, cuius in posterum dictis obsequenti animo parebunt.

III.

Iisdem iuribus, privilegiis, honoribus novi isti Christifideles gaudeant atque fruantur, quibus ceteri in eadem dioecesi iure ordinario gaudent atque fruuntur.

IV.

Monumenta omnia, iura, documenta quae uniendos dioecesi S. Dionysii (seu Reunionis) respiciunt, ac in praesentiarum in Praefectura insularum *Mayotte* et *Nossi-Bè* asservantur, inde extracta, quamprimum Praefecto tabularii dioeceseos S. Dionysii (seu Reunionis) tradantur ibi pro opportunitate custodienda.

V.

Quod si S. Dionysii dioeceseos bonum aut publica utilitas postulaverint aliquam novam circumscriptionem

aut aliquam detractionem, nulla etiam adiecta territoriali compensatione, id, collatis cum Praeside Gallicae Reipublicae consiliis, liberum manebit Apostolicae Sedi perficere.

VI.

Quoad res, iura et personas ecclesiasticas, quorum nulla expressa mentio in praesenti facta est, rata item manebunt et firma; si quae vero difficultas supervenerit, ea secundum canonicas leges deferenda erit ad Apostolicam Sedem, cuius erit declarare aut emendare aut cum civili auctoritate componere.

VII.

Hoc Consistoriale decretum perinde habeatur plane valiturum ac si litterae Apostolicae solemnes sive in forma brevis sive sub plumbo expeditae fuissent.

VIII.

Nemini liceat hoc decretum Consistoriale sive obreptionis, sive subreptionis, sive alicuius speciei cuiusvis vitio defectuve notare, impugnare, aut infringere, contrariis quibuscumque neutiquam obstantibus.

IX.

Harum litterarum mandata exequatur R. P. D. Aloisius Rotelli Archiepiscopus Pharsaliensis, apud Gallicam

Rempublicam Nuntius Ordinarius, per se, aut per aliam subdelegandam personam ecclesiastica dignitate fulgentem, quae ut ipse, omni appellatione amota, possit declarare, decernere et constituere, quae ad hoc opus perficiendum videantur esse necessaria.

X.

Decretorum singulorum, quae hac in re fieri oporteat, authenticum exemplar intra tres menses a peracta dismembratione ac dein unione mittatur ad sacrum Consilium a rebus Consistorialibus decernendis.

XI.

Huiusce vero ferendi decreti exemplar in sacro item tabulario Consistoriali sedula cura servetur.

Datum Romae hac die 24 Februarii anno Domini 1888, Sacri Principatus anno XI.

F. Mercurelli Secretarius

EPISTOLA

DILECTO FILIO

DAVID FARABULINI PRESBYTERO PRAELATO NOSTRO DOMESTICO.

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Reddita Nobis est epistola abs te, quacum erat specimen coniunctum poeticae. In altera amavimus animum, in altero facultatem ingenii. Et ad hanc quod attinet, haud sane latet Nos, quantum soleas operae studiique in eis artibus et litteris consumere, quae et sunt et vocantur optimae, et quarum te commendatio apprime facit eruditorum hominum opinione florentem. Illud vero laudandum ac probandum maxime, quod materiam scribendi sumere ex rebus consuevisti cognitione dignis, quae habeant cum religione et pietate cognationem, tuus ut sit semper fructuosus labor. Velut anno proximo, cum duo illa diligenter copioseque scripta pro tuenda Sede Apostolica edidisti. Quibus de caussis, honesta te dignitate nuper ornandum censuimus; ad eamque has ipsas litte-

ras, velut alterum voluntatis in te Nostrae testimonium, placuit accedere. Perge, dilecte fili, humanitatis studia cum amore Ecclesiae, ut maxime sacerdotem decet, coniungere: idemque fruere benevolentia Nostra, cuius tamquam pignus esse volumus Apostolicam benedictionem, quam tibi peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Februarii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE QUINTA DIGNITATE
IN CAPITULO METROPOLITANAE ECCLESIAE OLOMUCENSIS
CONSTITUENDA.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Romani Pontifices, qui nihil spectare magis atque in oculis habere solent, quam ut Ecclesia Dei floreat semper strenuis omnique christiana laude praestantibus sacrorum administris, ex veteri consuetudine atque instituto singulares honores, praerogativas et ornamenta ecclesiasticis viris divino cultui in conspicuis templis inservientibus decernere consueverunt eo sane consilio, ut ii vel ab ipsa dignitatis amplitudine maiora ad pietatem et virtutem incitamenta caperent. Quapropter quum Nobis a Capitulo Metropolitanae Ecclesiae Olomucensi admotae nuper sint preces, ut praeter quatuor dignitates, quae in praedicta Metropolitana iam constitutae reperiuntur, aliam

in perpetuum adiicere velimus, Nos ad augendum divini cultus splendorem et ad pietatem vehementius excitandam, hisce votis benigne annuendum censuimus. Quare omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, peculiari benevolentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica auctoritate Nostra, per has litteras perpetuum in modum praecipimus, ut in Metropolitana Ecclesia Olomucensi quinta dignitas constituatur, et ille qui eam adipiscitur, custodis nomen habeat et semper e gremio Canonicorum residentium eligatur: mandamus pariter, ut huiusmodi dignitas ab Archiepiscopo pro tempore conferatur: qui autem in hac dignitate constitutus est stallum habeat in choro et capitulo post quatuor dignitates iam existentes et ante omnes Canonicos Capitulares, gaudeat vero omnibus privilegiis, honoribus et iuribus, quibus aliae quatuor dignitates legitime potiuntur. Decernentes has litteras Nostras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Constitutionibus et

ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die VIII Martii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

DECRETUM

DE NOVA CIRCUMSCRIPTIONE PAROECIARUM IN IMPERIO BRASILIANO INTER PROVINCIAM DE CEARÀ SEU FORTALEXENSEM ET PROVINCIAM DE MARAGNANO SEU S. LUDOVICI DE MARAGNANO.

Summi Pontifices, quibus totius Christi gregis salus et spiritualis utilitas commissa fuit, sicuti in designandis dioecesium finibus eo spectant, ut toti singulorum populo expeditior pateat accessus ad proprium cuiusque pastorem, consulendumque suae conscientiae rebus, sic, immutatis a vicissitudine temporum, vel a civili auctoritate praestitutis provinciarum limitibus, curas convertunt ad priscos limites cohibendos, dilatandos, immutandos; idque eo libentius perficiunt, quo concordiorem experiuntur ecclesiasticam civilemque auctoritatem in rei utilitate probanda. Quamobrem in Brasilia ad aptiores limites constituendos inter provincias *Cearà* et *Pianhy* statutum fuit, eos praefiniendos esse a continua interposita montium serie, quam dicunt *Serra Grande,* seu *Sbiapaba,* quae hinc orientalem, illinc occidentalem suam frontem explicat. Haec autem nova divisio necessariam fecit separationem seu

dismembrationem duarum paroeciarum hactenus spectantium ad Episcopum de Maragnano in occidentali parte montium et unionem earumdem ad dioecesim de *Cearà,* seu Fortalexensem in orientali parte positam, ubi ipsae sunt sitae. Quocirca, cum uterque Episcopus in huiusmodi mutationem plenissime consenserit, uti in rem duabus illis plebibus perutilem, Celsissima Princeps Imperialis Brasiliae Regens a Sancta Sede imploravit, ratam haberi propositam distractionem et unionem, eamque Apostolica auctoritate sanciri.

Sanctitas itaque Sua, vera rei utilitate perspecta, ut huiusmodi votis satisfaceret, ex certa scientia et motu veluti proprio processit, ratumque habens et firmum consensum Suae Celsitudinis Principis Imperialis Regentis ac utriusque Antistitis, sive Fortalexensis Iosephi Vieira, sive S. Ludovici de Maragnano Antonii de Aliarenga, aliorumque omnium interesse habentium, vel quoque modo habere praesumentium, supplendo etiam, si opus sit, huiusmodi consensum, singulosque quos praesens provisio respicit a quibusvis censuris poenisque ecclesiasticis cum a iure tum ab homine latis, hanc tantum ob rem absolvens et absolutos fore declarans, sua Apostolica auctoritate decrevit, sanxitque postulata fieri modo et legibus quae sequuntur:

I.

Territorium cui nomen *Comarca do Principe Imperial* provinciae *Pianhy* uniatur provinciae de *Cearà,* seu Fortalexensi.

II.

Easdem provincias dividet Monsgrandis, seu *Sbiapaba* nulla interruptione adiecta praeter rivulum *Puty,* eo ut provinciae *Pianhy* subiiciat omnis memorati montis pars occidentalis, provinciae vero de *Cearà* seu Fortalexensi pars orientalis.

III.

Provinciae *Pianhy* manebit paroecia *Amarracao* iis limitibus circumscripta, quos statuit lex provincialis N. 1360 diei v Novembris anno 1870; hoc est ex ore fluminis *Timonia* (id est S. Ioannis) e superiore ripa ad effluvium rivuli per sanctam Ritam labentis ad verticem usque montis, qui est terminus *Pianhy.*

IV.

Territoria in quibus Episcopi suam ecclesiasticam iurisdictionem exercebunt, eadem erunt ac civilia.

V.

Duae paroeciae *do Senhor do Bom, Fim de Principe Imperial,* et *de Sant Anna da Independentia* dismembrentur a dioecesi S. Ludovici de Maragnano et dioecesi de *Cearà* seu Fortalexensi incorporentur.

VI.

Fideles omnes iam dictas paroecias inhabitantes, demptis, si qui sunt, qui singulari gaudeant exceptione cum suis circumsitis locis, piis institutis adnexisque rebus, dioecesi de *Ceará* seu Fortalexensi addicantur, eique perpetuo subiiciantur regendi ac gubernandi ab eius Ordinario Antistite, cuius in posterum dicto prono animo erunt obsequentes.

VII.

Iisdem iuribus, privilegiis, honoribus novi isti Christifideles gaudeant omnes atque fruantur, quibus ceteri in eadem dioecesi iure ordinario gaudent atque fruuntur.

VIII.

Monumenta omnia iura et documenta, quae incorporandos dioecesi de *Ceará* seu Fortalexensi respiciunt, ac in praesentiarum in tabulario episcopali S. Ludovici de Maragnano asservantur, inde extracta, quamprimum praefecto tabularii dioecesis de *Ceará* seu Fortalexensis tradantur, ibi pro opportunitate custodienda.

IX.

Quod si dioecesis de *Ceará* seu Fortalexensis bonum aut publica utilitas novam expostulent circumscriptionem,

vel aliquam detractionem, nulla etiam adiecta territoriali compensatione, id, collatis cum sua Celsitudine Imperiali Regente consiliis, liberum manebit Apostolicae Sedi perficere.

X.

Quoad res, iura et personas ecclesiasticas, quorum expressa mentio in praesentiarum nulla facta est, omnia rata manebunt et firma; si quae vero difficultas supervenerit, ea secundum canonicas leges deferenda erit ad Apostolicam Sedem, cuius erit declarare, diluere, aut cum civili auctoritate componere.

XI.

Hoc Consistoriale decretum eodem gaudeat robore, quod praelaturae forent Apostolicae litterae, sive in forma brevis, sive sub plumbo de concessione edendae.

XII.

Nemini liceat hoc Consistoriale decretum sive subreptionis, sive obreptionis, sive alterius speciei cuiusvis vitio defectuve notare, impugnare, aut infringere, contrariis quibuscumque non obstantibus.

XIII.

Harum litterarum mandata exequatur R. P. D. Franciscus Spolverini apud Imperium Brasilianum extraordi-

narius Internuntius Apostolicus, per se vel per aliam personam subdelegandam in ecclesiastica dignitate constitutam, quae, ut ipse, omni appellatione amota, possit declarare, decernere et constituere quae ad hoc opus probe feliciterque perficiendum videantur necessaria.

XIV.

Decretorum singulorum, quae hac in re fieri oporteat, authenticum exemplar intra quatuor menses a peracta dismembratione ac deinde unione mittatur ad consilium a rebus Consistorialibus decernendis.

XV.

Huiusce vero decreti exemplar in sacro item tabulario Consistoriali sedula cura servetur.

Datum Romae hac die 10 Martii anno Domini 1888, Sacri Principatus anno XI.

F. Mercurelli Secretarius

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS VICARIATUS APOSTOLICUS IAPONIAE CENTRALIS ERIGITUR.

—

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Quae rei sacrae procurationi melius gerendae facere possunt, ea Nos pro supremi Apostolatus munere Nobis commisso libenti animo exsequi maturamus. Iamvero ut in Iaponiae regione, ubi iam, adlaborantibus alumnis seminarii Parisiensis pro missionibus exteris, fidei germina feliciter adolescunt, magis magisque excrescat atque amplificetur catholica res, peropportuna Nobis visa est novi Apostolici Vicariatus erectio. Quare omnibus rei momentis attente ac sedulo perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Card. negotiis Propagandae Fidei praepositis, ut facilior iis in locis pastoralis regiminis exercitio via muniatur, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, e Vicariatu Apostolico Iaponiae meridionalis territorium distrahimus, quod comprehendat eam regionem magnae insulae de Nippou, quae est ad occidentem pro-

vinciarum Yetchidjen, Mino et Owavi, insuper integram insulam de Chicocau, easque omnes minoris momenti insulas, quae in civili administratione pendent a duobus dictis territoriis, partesque huiusmodi sic e Vicariatu Apostolico Iaponiae meridionalis distractas, auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium litterarum in peculiarem Vicariatum Apostolicum erigimus et constituimus, cui Iaponiae centralis nomen facimus. Porro novum hunc Iaponiae centralis Vicariatum curis supradicti seminarii Parisiensis pro missionibus exteris demandandum censuimus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, nec non dicti Vicariatus etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die xx Martii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

EPISTOLA

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
UNIVERSIS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quod anniversarius Sacerdotii Nostri dies quinquagesimus nuper Ecclesiae peroptato illuxerit, acceptum, ut oportet, referimus summae Dei benignitati, cuius nutu arbitrioque providentissimo omnis vita hominum regitur. Ac pari modo tantam ubique animorum consensionem in obsequiis, in effusa liberalitate, in publicis laetitiae significationibus nemo poterat nisi Ille excitare, cuius omnino imperium est in hominum mentes et voluntates et corda, quique eventus rerum ad christianae religionis gloriam dirigit et moderatur. — Praeclarum quidem et memorabile factum, ex quo ipsi Ecclesiae hostes, vel inviti et nolentes, suis ipsi oculis perspiciunt, quemadmodum divina eius vita ac divinitus ingenita virtus vigeat semper, atque adeo persuadere sibi cogantur, insano prorsus conatu gen-

tes impias fremere et inania meditari adversus Dominum et adversus Christum eius.

Iamvero, ut quam latissime huius beneficii divini et memoria manaret et utilitas, caelestium gratiarum thesauros universo Nobis concredito gregi reclusimus: nec sane praetermisimus divinae pietatis munera iis ipsis implorare, qui extra unicam salutis Arcam adhuc versantur: quod hoc consilio fecimus, *ut omnes gentes et populi, in fide caritatis vinculo sociati, unico ovili sub uno pastore citius aggregentur:* ita sane *Dominum Nostrum Iesum Christum* cum gemitibus exoravimus in solemni Sacro Canonizationis mox celebratae.

Nos enim et ad triumphantem Ecclesiam sublatis oculis, heroibus christianis, de quibus iam absoluta feliciter erat praestantissimarum virtutum ac miraculorum ad iuris tramites cognitio, aliis sanctorum summos honores, aliis beatorum cultum solemniter decrevimus et tribuimus, ut ea quae in caelis est Hierusalem, cum hac ipsa quae in terris peregrinatur a Domino, communione laetitiae iungeretur.

Verum quo huic ipsi rei veluti cumulus, Deo adiuvante, imponatur, Apostolicae Nostrae caritatis officia, de plenitudine infiniti spiritualis thesauri, ad eos quoque dilectos Ecclesiae filios, largius quo fieri possit, proferre cupimus, qui morte iustorum obita de militia huius vitae migrarunt cum signo fidei, ac mysticae vitis inserti propagini; ita tamen ut prohibeantur ingressu in aeternam requiem usque dum divinae iustitiae ultrici pro contractis debitis

ad minimum reddant quadrantem. — Movemur autem tum piis catholicorum votis, quibus consilium hoc Nostrum pergratum esse scimus, tum lacrimabili poenarum, quibus defunctorum animae cruciantur, atrocitate: sed praeterea et maxime movemur consuetudine Ecclesiae, quae, vel inter iucundiores per annum solemnitates, sanctam et salubrem agit defunctorum memoriam, ut a peccatis solvantur.

Itaque cum ex catholica doctrina exploratum sit *animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio, iuvari*, nullum censemus neque utilius neque optatius a Nobis proficisci ad eas posse pignus, quam si multiplicemus in locis omnibus pro satisfactione ipsarum oblationem mundam sacrosancti Sacrificii Mediatoris nostri divini.

Quare statuimus, cum necessariis omnibus dispensationibus et derogationibus, ultimam Dominicam proxime venturi mensis Septembris tamquam amplissimae expiationis diem, quo celebretur a Nobis, itemque a singulis fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis aliisque Praelatis dioecesim habentibus, in suis cuiusque Ecclesiis Patriarcalibus, Metropolitanis et Cathedralibus, specialis missa defunctorum, maiori qua fieri potest solemnitate, eoque ritu qui in missali adsignatur *in Commemoratione omnium fidelium defunctorum*. Id ipsum fieri probamus in parochialibus et collegiatis Ecclesiis tam saecularium quam regularium, et ab omnibus sacerdotibus, dummodo ne omittatur missa officio diei respondens, ubicumque est

obligatio. — Alios autem Christifideles vehementer hortamur ut, facta sacramentali confessione, ad purgantium animarum suffragium angelico pane se devote reficiant. — His vero plenariam Indulgentiam pro defunctis; singulis, ut dictum est supra, celebrantibus, Altaris privilegium, auctoritate Apostolica impertimur.

Sic nimirum piae animae in quibus noxarum reliquiae terribili cruciatuum magnitudine eluuntur, peropportunum ac singulare solatium percipient ex Hostia salutari, quam Ecclesia universa, Capiti suo visibili coniuncta, eodemque caritatis affectu inflammata, Deo est oblatura ut eis locum refrigerii, lucis et pacis indulgeat sempiternae.

Interea Vobis, Venerabiles Fratres, universoque Clero et populo curae vestrae concredito, Apostolicam benedictionem, caelestium munerum auspicem, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum in die solemni Paschatis MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IOANNI MARIAE SANNA-SOLARO E S. I.
AUGUSTAM TAURINORUM

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

De Societate, quam a *Fastis Eucharisticis* nuncupant, sextum iam annum in oppido *Paray-le-Monial* instituta, plura nuper, nec sane iniucunda ad audiendum accepimus. Hoc enim illa se velle profitetur conferre operam ad tuendum Christi Domini in civitatibus imperium: eamque ob caussam sodales eius augustum Eucharistiae Sacramentum illustrandum diligentissime curant, conquisitis undique ea de re monumentis litterarum atque artium. Propositum per se sane excellens: quid enim fieri sanctius queat, quam eniti ut ad obsequium Dei gentes vocentur, maximi atque altissimi contemplatione miraculi, cuius virtute *unicuique fidelium Christus semetipsum per mysteria commiscet?* Idemque his valde accomodatum tem-

poribus, cum in iis ipsis, qui catholico gloriantur nomine, tam multi sint, quorum evagantes in aliena studia animos rerum sanctissimarum cepit oblivio. Collaudandos igitur censemus eos, quorum consilio operâque societas vestra vel primum coaluit, vel incrementa accepit: nominatim vero Alexii Sarachaga probanda liberalitas est, nec dissimili modo positum a Stephano D' Alcantara itemque abs te ipso in eadem societate propaganda commendabile studium. Intereaque caelestium munerum auspicem vobismetipsis, et quotquot eodem in instituto vobiscum elaborant, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Aprilis MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE VICARIATUS APOSTOLICI ADENSIS.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant, ea, ut mature praestemus Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris immeriti licet fungimur. Itaque cum hodiernus Administer Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Assisiensis Capulatorum, Nos enixe rogaverit ut Missionem Adensem peculiarem in Vicariatum Apostolicum erigeremus, provinciae Lugdunensi eiusdem Capulatorum Ordinis committendum, Nos, omnibus rei momentis attente ac sedulo perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, quo spirituali illarum regionum Christifidelium bono magis magisque consultum sit, votis huiusmodi obsecundandum censuimus. Quocirca motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris Adensem Missionem in Apostolicum Vicariatum Nostra auctoritate tenore praesentium erigi-

mus atque constituimus, cui item Adensis nomen facimus et quem Lugdunensi provinciae Capulatorum Ordinis concredimus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die IV Maii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS IN FOEDERATIS SEPTENTRIONALIS AMERICAE DITIONIBUS PROVINCIA ECCLESIASTICA S. PAULI DE MINNESOTA CONSTITUITUR.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Quae rei sacrae procurationi melius gerendae facere possint, ea ut mature praestemus Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris, immeriti licet, fungimur. Itaque cum Venerabiles Fratres Episcopi provinciae Milwaukiensis in statibus foederatis Americae septentrionalis, legitime ab Archiepiscopo convocati in Synodum provincialem convenerint, ac perpendentes in maius religionis incrementum versurum, si novus Archiepiscopatus ea in regione institueretur, Nos enixe rogaverint, ut ipsam Milwaukiensem provinciam partiri ac dioecesim S. Pauli de Minnesota ad Archiepiscopalis sedis dignitatem evehere velimus; Nos omnibus rei momentis attente ac sedulo perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, inspectaque rationum gravitate, quibus preces Episcoporum praedictae provinciae nitebantur, votis huiusmodi annuendum censuimus. Quare motu proprio atque ex certa scientia et matura

deliberatione Nostris, provinciam Milwaukiensem dividimus, et auctoritate Nostra Apostolica, praesentium vi, novam ecclesiasticam provinciam erigimus, evehentes similiter per praesentes dioecesim S. Pauli in archiepiscopatum, eique assignantes pro suffraganeis Ecclesiis vicariatus Apostolicos Dakotae ac Minnesotae septentrionalis, remanentibus sub iurisdictione Archiepiscopi Milwaukiensis dioecesibus Crossensi, Sinus Viridis ac Marquettensi. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo ac fel. rec. Benedicti PP. XIV Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, nec non S. Pauli ac Milwaukiensis ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die IV Maii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

EPISTOLA

VENERABILIBUS FRATRIBUS
EPISCOPIS BRASILIAE.

—

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

In plurimis maximisque pietatis significationibus, quas universae fere gentes, ad gratulandum Nobis annum quinquagesimum sacerdotii feliciter plenum, exhibuerunt quotidieque exhibent, una quaedam singulariter movit, a Brasilia profecta, quod nimirum, ob eius eventus faustitatem, libero sint iure donati non pauci ex iis, qui per latissimos istius imperii fines sub iugo ingemunt servitutis. — Tale quidem opus, christianae plenum misericordiae, curantibus cum clero viris matronisque beneficis, auctori Deo et largitori bonorum omnium oblatum est, tamquam gratiarum testimonium de aucto tam benigne Nobis munere aetatis et incolumitatis. — Nobis autem fuit acceptum in primis et iucundum, eo vel magis, quod in hac Nos pergrata opinione confirmabat, omnino velle Brasilianos ser-

vitutis immanitatem tolli penitusque extirpari. Cui quidem voluntati populari obsecundatum est eximio studio ab Imperatore pariter et a Filia augusta, itemque ab eis qui rei publicae praesunt, certis quoque legibus in id latis et sancitis. Quantum Nobis haec res afferret solatii, nominatim, superiore mense Ianuario, augusti Imperatoris apud Nos Legato declaravimus: hoc amplius adiuncto, Nosmetipsos ad Episcopos Brasiliae, miserorum servorum caussâ, litteras daturos [1].

Nos quidem ad omnes homines vice fungimur Christi, Filii Dei, qui humanum genus amore tanto complexus est, ut non modo non recusarit, naturâ nostra suscepta, versari nobiscum, sed et nomen adamarit Filii hominis, palam testatus, se ad consuetudinem nostram propterea accessisse *ut praedicaret captivis remissionem* [2], atque a pessima, quae peccati est, servitute humano genere vindicato, *omnia quae in caelis et quae in terra sunt in se instauraret* [3], itemque universam Adami progeniem ex alta communis noxae ruina in gradum pristinum dignitatis restitueret. Aptissime ad rem S. Gregorius Magnus: *Quum Redemptor noster totius conditor*

[1] « A l'occasion de notre Jubilé,... Nous désirons donner au « Bresil un témoignage tout particulier de Nostre paternelle affection, « au sujet de l'émancipation des esclaves ». (*Reponse à l'Adresse du Ministre du Brésil, de Souza Correa*).

[2] Is. LXI, 1: Luc. IV, 19.

[3] Ephes. I, 10.

creaturae, ad hoc propitiatus humanam voluerit carnem assumere, ut divinitatis suae gratia, dirupto, quo tenebamur captivi, vinculo servitutis, pristinae nos restitueret libertati, salubriter agitur, si homines quos ab initio natura liberos protulit, et ius gentium iugo substituit servitutis, in ea qua nati fuerant, manumittentis beneficio, libertate reddantur [1]. — Addecet igitur, et est plane muneris Apostolici, ea omnia foveri a Nobis impenseque provehi, unde homines tum singuli tum iure sociati habere queant praesidia ad multiplices miserias levandas, quae, tamquam corruptae arboris fructus, ex culpa primi parentis profluxere: ea quippe praesidia, quocumque in genere sunt, non modo ad cultum et humanitatem valde possunt, sed etiam apte conducunt ad eam rerum ex integro renovationem, quam Redemptor hominum Iesus Christus spectavit et voluit.

Iamvero tot inter miserias, graviter deplorandum videtur de servitute, cui pars non exigua humanae familiae abhinc multis saeculis est obnoxia, in squalore iacens et sordibus, idque omnino contra quam a Deo et natura erat primitus institutum. — Sic enim ille rerum conditor summus decreverat, ut homo in bestiis et agrestibus et natantibus et volucribus regium quemdam dominatum teneret, non item ut in similes sui homines dominaretur: *Rationalem factum,* ex Augustini sententia, *ad imaginem suam, noluit nisi irrationabilibus dominari: non hominem homini, sed hominem pecori* [2]. Quo fit ut *conditio servitutis*

[1] Lib. VI. ep. 12.
[2] Gen. I, 26.

iure intelligatur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noe iustus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura [1].

Ex primi contagione peccati et cetera mala omnia et ista erupit monstrosa perversitas, ut homines fuerint, qui, memoriâ fraternae ab origine coniunctionis reiecta, non iam duce natura mutuam inter se benevolentiam mutuamque observantiam colerent, sed cupiditatibus obedientes suis, homines alios infra se putare coeperint, et perinde habere ac nata iugo iumenta. Hoc modo, nulla ratione habita neque communis naturae, neque dignitatis humanae, neque divinae expressae similitudinis, consecutum est ut, per certationes et bella quae deinde exarserunt, qui vi existerent superiores, ii victos sibi subiicerent, atque ita multitudo eiusdem generis individua sensim in duas abscesserit partes, sub victoribus dominis victa mancipia. — Cuius rei luctuosum quasi theatrum memoria priscorum temporum explicat, ad tempora usque Domini Servatoris, quum calamitas servitutis populos omnes late pervaserat, rariorque erat numerus ingenuorum, ut Caesarem poeta ille atrociter dicentem induxerit; *Humanum paucis vivit genus* [2]. Idque apud eas etiam nationes viguit, quae omni cultu expolitae eminebant, apud Graecos, apud Romanos, quum paucorum dominatio esset in plurimos; eaque cum improbitate et

[1] Gen. I, 25, Noe c. xxx.

[2] Lucan. Phars. v, 343.

superbia tanta exercebatur, ut servorum turbae nihil supra censerentur quam bona, non personae sed res, omnis expertes iuris, ipsa adempta facultate retinendae fruendaeque vitae. *In potestate dominorum sunt servi, quae quidem potestas iuris gentium est: nam apud omnes peraeque gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitae necisque potestatem esse, et quodcumque per servum acquiritur id dominis acquiritur* [1]. — Ex hac rerum perturbatione licuit dominis servos permutare, venumdare, hereditate tradere, caedere, morti dare, iisque abuti ad licentiam diramque superstitionem: impune et in luce licuit. — Quin etiam ethnicorum qui prudentissimi ferebantur, philosophi insignes, consultissimi iuris, hoc sibi aliisque, per summam communis iudicii iniuriam, suadere conati sunt, esse servitutem nihil aliud quam necessariam naturae conditionem: nec enim sunt veriti profiteri, quia servorum genus generi liberorum longe multumque et virtute intelligendi et praestantia corporum cederet, oportere idcirco, servos, veluti carentia ratione et consilio instrumenta, dominorum usquequaque voluntatibus temere indigneque servire. Eiusmodi detestanda maxime tum inhumanitas tum iniquitas; qua semel accepta, nulla iam sit oppressio hominum barbara et nefanda, quae non sese in legis quadam iurisve specie impudentissime tueatur. — Inde vero quale flagitiorum seminarium, quae pestis et pernicies in civitates manarit, exemplorum pleni sunt

[1] Iustinian. Inst. l. I, tit. 8, n. 1.

libri: in animis servorum exacui odia, teneri dominos suspicione metuque perpetuo; alios ad explendas iras parare faces, cervicibus alios instare crudelius; aliorum numero, aliorum vi civitates commoveri, levi momento dissolvi: tumultus et seditiones, direptiones et incendia, proelia caedesque misceri.

In eo deiectionis profundo mortalium plurimi laborabant, multoque miserius ut mersi erant superstitionum caligine; quum, maturis divino consilio temporibus, lux e caelo admirabilis oborta est, et gratia redimentis Christi ad hominum universitatem se copiose profudit; cuius beneficio illi erecti sunt e caeno et aerumna servitutis, omnesque omnino a deterrimo peccati servitio ad praestantissimam dignitatem filiorum Dei sunt revocati et adducti. — Apostoli enimvero inde ab initio Ecclesiae, praeter alia praecepta vitae sanctissima, hoc etiam tradidere et inculcavere, quod est non semel scriptum a Paulo ad renatos e lavacro Baptismatis: *Omnes filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Iesu: quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Iesu* [1]. *Non est Gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus* [2]. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei sive Gentiles, sive servi sive liberi, et omnes*

[1] Gal. III, 26-28.
[2] Coloss. III, 11.

in uno Spiritu potati sumus[1]. — Aurea sane, honestissima, saluberrima documenta, quorum efficacitate non modo hominum generi decus redditur suum atque augetur, sed etiam, cuiuscumque ipsi sunt loci vel linguae vel gradus, inter se consociantur et vinculis fraternae necessitudinis arctissime continentur. Ea vere beatissimus Paulus, qua Christi urgebatur caritate, ex ipso Eius corde hauserat, qui se fratrem singulis cunctisque hominibus perbenigne dedidit, quique de se omnes, ne uno quidem dempto aut posthabito, ita nobilitavit ut consortes adsciseeret naturae divinae. Ea ipsa non secus fuere ac divinitus insertae propagines, quae mirum in modum provenientes effloruerunt ad spem felicitatemque publicam; quum, decursu rerum et temporum, perseverante opera Ecclesiae, societas civitatum ad similitudinem familiae renovata coaluerit, christiana et libera.

Principio enim solertissima cura Ecclesiae in eo versata est, ut populus christianus de hac etiam magni ponderis re sinceram Christi et Apostolorum doctrinam acciperet probeque teneret. Iam nunc per Adamum novum, qui est Christus, communionem fraternam et hominis cum homine et gentis cum gente intercedere: ipsis, sicut unam eamdemque, intra naturae fines, originem, sic, supra naturam, originem unam eamdemque esse salutis et fidei: omnes aequabiliter in adoptionem unius Dei et Patris accitos, quippe quos eodem ipse pretio magno una rede-

[1] I. Cor. xii, 13.

merit: eiusdem corporis membra omnes, omnesque eiusdem participes mensae divinae: omnibus gratiae munera, omnibus item munera vitae immortalis patere. — Hisce positis, tamquam initiis et fundamentis, contendit Ecclesia ut servilis vitae oneribus et ignominiae mitigationem aliquam bona mater afferret; eius rei causâ iura atque officia dominos inter servosque necessaria, prout affirmata sunt in Apostolorum epistolis, definivit valideque commendavit. — Apostolorum enim Principes ita servos quos adiunxerant Christo commonebant: *Subditi estote in omni timore, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis*[1]. *Obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus; scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus sive liber*[2]. Idem Paulus Timotheo suo: *Quicumque sunt sub iugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur; qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. Haec doce et exhortare*[3]. Tito pariter mandavit, doceret servos *dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris*

[1] I Petr. II, 18.
[2] Eph. VI, 5-8.
[3] I Tim. VI, 1-2.

nostri Dei ornent in omnibus [1]. — Illi vero fidei christianae prisci discipuli optime intellexerunt, ex tali hominum fraterna in Christo aequalitate nihil admodum de obsequio, de honore, de fidelitate, de ceteris officiis, quibus ad dominos tenerentur, neque minui neque remitti; inde autem non unum consequi bonum, ut eadem nimirum officia et certiora essent, et leviora fierent atque suavia ad exercendum, et fructuosiora ad gloriam promerendam caelestem. Sic enim dominis reverentiam et honorem habebant tamquam iis hominibus qui auctoritate Dei, a quo omnis potestas derivatur, pollerent; non apud ipsos poenarum metus aut consiliorum astutia et incitamenta utilitatum valebant, sed conscientia officii, vis caritatis. Vicissim ad dominos iusta ab Apostolo spectabat cohortatio, ut bene factis servorum gratiam ipsi bonam rependerent: *Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in caelis, et personarum acceptio non est apud eum* [2]: considerarent, sicut servo haud aequum sortem dolere suam, quum *libertus sit Domini,* neque item homini libero, quum *Christi sit servus* [3], licere usquam spiritus tollere superbeque imperare. In quo erat dominis praeceptum, ut suis ipsi in servis hominem agnoscerent convenienterque colerent, neque alios a se natura, et secum pares religione conservosque ad communis Domini maiestatem. — Istis tam rectis legi-

[1] Tit. II, 9-10.
[2] Ephes. VI, 9.
[3] I. Cor. VII, 22.

bus, maximeque factis ad partes conformandas societatis domesticae, re ipsa paruerunt Apostoli. Insigne Pauli exemplum, ut fecit ille scripsitque benevole pro Onesimo, servo Philemonis fugitivo: quem ad eum remittit hac peramanti commendatione: *Tu autem illum ut mea viscera suscipe,.... iam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem et in carne et in Domino: si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa* [1].

Utramque agendi rationem in servos, ethnicam et christianam, qui conferre velit, facile dabit, fuisse alteram inclementem et flagitiosam, alteram mitissimam plenamque honestatis, neque erit commissurus, ut Ecclesiam, tantae indulgentiae ministram, merita laude fraudare videatur. — Id eo vel magis, quum quis diligenter advertat qua Ecclesia lenitate et prudentia foedissimam servitutis pestem exsecuit depulitque. — Illa enim ad manumissionem libertatemque curandam servorum noluit properare, quod, nisi tumultuose et cum suo ipsorum damno reique publicae detrimento fieri profecto non poterat; sed praecipuo consilio prospexit ut animi servorum in disciplina sua erudirentur ad veritatem christianam, et consentaneos mores cum baptismo induerent. Quamobrem, in servorum multitudine quos sibi filios adnumerabat, si qui, spe aliqua illecti libertatis, vim et seditionem essent moliti, ea vitiosa studia improbavit semper Ecclesia et compressit, adhibuitque per suos ministros

[1] Ad Phil. 12-18.

remedia patientiae. Haberent scilicet persuasum, se quidem, propter sanctae fidei lumen atque insigne a Christo acceptum, ethnicis dominis multum dignitate antecellere, ab ipso tamen fidei Auctore et Parente religiosius adstringi, ne quid adversus eos in se admitterent, neu minimum a reverentia eis debita et obedientia discederent; se autem quum nossent regno Dei adlectos, libertate filiorum eius potitos, ad bona non peritura vocatos, laborare ne vellent de abiectione incommodisque vitae caducae, sed oculis animisque ad caelum sublatis, se ipsi consolarentur sanctoque in proposito confirmarent. Servos in primis allocutus est Petrus Apostolus quum scripsit: *Haec est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius* [1]. — Laus tanta sollicitudinis cum moderatione coniunctae, quae divinam Ecclesiae virtutem praeclarius exornat, augetur etiam a fortitudine animi supra quam credibile sit invicta et excelsa, quam bene multis de servis infimis potuit ipsa indere et sustinere. Permira res, qui dominis suis erant in exemplum morigeri eorumque gratiâ omnium erant laborum patientissimi, nullo ipsos pacto potuisse adduci, ut dominorum iniqua mandata mandatis Domini sanctis anteferrent, atque adeo vitam acerbissimis cruciatibus, securis animis, securo vultu, obiecisse. Nomen *Patamianae* virginis ad memoriam invictae constantiae ab

[1] I. Petr. II, 19-21.

Eusebio celebratur: quae scilicet potius quam impudici heri indulgeret libidini, mortem non timida oppetiit, et profuso sanguine fidem Iesu Christo servavit. Similia admirari licet servorum exempla, qui, dominis libertatem sibi animorum, fidemque Deo obligatam oppugnantibus, firmissime ad necem repugnaverunt: qui vero, christiani servi, aliis de causis restiterint dominis, vel coniurationes turbasve civitatibus exitiosas concitarint, historia prodidit nullos.

Pacatis exinde rebus quietisque Ecclesiae temporibus, apostolica documenta de fraterna inter Christianos coniunctione animorum sancti Patres admirabili exposuere sapientia, et caritate pari ad servorum utilitatem transtulerunt, hoc enisi convincere, ut iura quidem dominis in operis servorum ex honesto constarent, nequaquam vero liceret imperiosa illa potestas in capita et immanis saevitia. In Graecis praestat Chrysostomus, qui habet hunc locum saepe tractatum, quique perlaeto animo et lingua affirmavit, servitutem, ad veterem verbi notionem, iam per id tempus, magno christianae fidei beneficio esse sublatam, ut sine re nomen inter Domini discipulos et videretur et esset. Etenim Christus (sic ille summatim disputat), quum culpam origine contractam summa in nos miseratione detersit, sanavit idem consecutam multiplicem ad ordines societatis humanae corruptionem; propterea que, quemadmodum mors per ipsum, terroribus positis, placida est ad beatam vitam migratio, ita sublatam esse servitutem. Christianum hominem, nisi rursus peccatis serviat,

servum ne dixeris: fratres omnino, quotquot sunt in Christo Iesu renati et suscepti: a nova ista procreatione atque in Dei familiam cooptatione, non a claritate generis, ornamenta proficisci; a veritatis, non a sanguinis laude dignitatem parari; quo vero species ipsa evangelicae *fraternitatis* ampliorem habeat fructum, opus admodum esse, vel in externa vitae consuetudine, vicissitudinem quamdam elucere studiorum et officiorum libentissimam, ita ut servi eodem ferme loco ducantur quo domestici et familiares, iisque a patrefamilias non solum ea suppetant quae sunt vitae victusque, sed omnia etiam religiosae institutionis praesidia. E singulari denique salutatione Pauli ad Philemonem, gratiam adprecantis et pacem *Ecclesiae quae in domo tua est* [1], documentum aeque dominis servisque christianis optime haberi statutum, quos inter communio sit fidei, inter eos communionem esse debere caritatis [2]. — De Latinis merito et iure commemoramus Ambrosium; qui tam studiose in eadem causa omnes necessitudinum rationes est persecutus, tamque definite ad christianas leges utrique hominum generi propria attribuit, nemo ut aptius fecerit: cuius sententiae nihil attinet dicere quam plene cum sententiis Chrysostomi perfecteque conveniant [3].

Erant haec rectissime, ut patet, utiliterque prae-

[1] Ad Phil. v, 2.

[2] Hom. XXIX. in Gen., or. in Lazar., Hom. XIX. in ep. I ad Cor., Hom. I, in ep. ad Phil.

[3] De Abr. de Iacob, et vita beata c. III. de Patr. Ioseph. c. IV, Exhort. virgin. c. I.

scripta; sed et iam, quod caput est, integre sancteque a priscis temporibus sunt custodita ubicumque floruit christiana professio. — Quod nisi esset, non ita Lactantius, defensor ille religionis eximius, confidenter quasi testis instaret: *Dicet aliquis: Nonne sunt apud vos alii pauperes, alii divites, alii servi, alii domini? nonne aliquid inter singulos interest? Nihil: nec alia causa est cur nobis invicem fratrum nomen impertiamur, nisi quia pares esse nos credimus: nam quum omnia humana, non corpore sed spiritu metiamur, tametsi corporum sit diversa conditio, nobis tamen servi non sunt, sed eos et habemus et dicimus spiritu fratres, religione conservos* [1]

Procedebant Ecclesiae curae in patrocinio servorum, et, nullâ missa opportunitate, eo usque caute pertinebant, si tandem ii possent in libertatem dari: quod profuturum valde erat ad salutem etiam sempiternam. — Bene respondisse eventus, annales sacrae antiquitatis afferunt testimonia. Nobiles ipsae matronae, Hieronymi laudibus spectatissimae, huic rei iuvandae singularem operam contulerunt: referente autem Salviano, in christianis familiis, iisque non ita locupletibus, fiebat saepenumero, ut servi manumissione munifica liberi abirent. Quin etiam eo praeclarius specimen caritatis S. Clemens multo ante laudavit; quemadmodum Christiani nonnulli sese servituti, conversis personis, subiecerint, quod servos quosdam alio pacto liberare nequissent [2]. — Quare, praeter quam quod servorum

[1] Divin. Instit. l. v, c. 16.

[2] I Ep. ad Cor. c. 55.

manumissio in templis haberi, item ut actio pietatis, coepta est, eam Ecclesia instituit christifidelibus testamenta facientibus commendare, tamquam opus pergratum Deo magnique apud ipsum meriti et praemii: ex quo illa manumissionis heredi mandandae concepta verba *pro amore Dei*, *pro remedio* vel *mercede animae meae*. Neque rei ulli, in pretium captivorum, temperatum est: donata Deo bona, divendita; aurum et argentum sacrum, conflata; basilicarum ornamenta et donaria, alienata: id quod Ambrosius, Augustinus, Hilarius, Eligius, Patritius, alii multi et sanctissimi viri fecerunt non semel. — Vel maxime fecerunt pro servis Pontifices romani, illi vere in omni memoria et infirmiorum tutores et vindices oppressorum. S. Gregorius M. quam plurimos potuit ipse in libertatem asseruit, et in concilio romano an. DXCVII iis libertatem concessam voluit qui monasticam vitam agere constituissent: posse servos, invitis dominis, matrimonia libere inire Hadrianus I defendit: ab Alexandro III, an. MCLXVII, apertissime edictum est mauro Valentiae regi, ne quem christianum hominem servitio addiceret, quod nemo natura servus, a Deo liberi omnes facti. Innocentius autem III, an. MCIIC, Ordinem *Sanctissimae Trinitatis Christianis redimendis* qui Turcarum in potestatem incidissent, rogatu auctorum, Ioannis a Matha, Felicis Valesii, probatum ratumque habuit. Similem huic Ordinem *Mariae sanctae a Mercede* Honorius III posteaque Gregorius IX rite probavere; quem Petrus Nolascus ea ardua lege condiderat, ut religiosi illi homines se ipsi pro Christianis in tyrannide captivis

captivos devoverent, opus si esset ad redimendos. Idem Gregorius magis amplum libertatis subsidium decrevit, ut Ecclesiae servos nefas esset permutari: idem exhortationem ad Christifideles addidit, ut pro admissorum poenis servos suos Deo Sanctisque piaculi causâ donarent. — Accedunt multa in hac re benefacta Ecclesiae. Ipsa etenim servos ab asperis dominorum iris damnosisque iniuriis, adhibitâ severitate poenarum, defendere consuevit; quos violenta manus vexaret, iis perfugia pandere aedes sacras; manumissos accipere in fidem, atque eos animadversione continere, qui ausi malis artibus liberum hominem in servitutem redigere. Eo ipsa propensius libertati favit servorum, quos quoquo modo, pro temporibus locisque, haberet suos; vel quum statuit ut omni servitutis vinculo ab episcopis solverentur, qui se laudabili vitae honestate aliquamdiu probassent, vel quum episcopis facile permisit, ut sibi addictos suprema voluntate liberos dicerent. Dandum item miserationi et virtuti Ecclesiae, quod servis remissum aliquid sit de gravitate legis civilis, quoad est impetratum, ut proposita Gregorii Magni temperamenta, in scriptum ius civitatum recepta, valerent: id autem factum, Carolo Magno praesertim agente, qui ea in *Capitularia* sua, quemadmodum postea Gratianus in *Decretum*, induxit. Monumenta denique, leges, instituta, continuo aetatum ordine, docent et declarant magnifice summam Ecclesiae caritatem in servos, quorum conditionem afflictam nullo tempore vacuam tutela reliquit, omni semper ope allevavit. — Itaque Ecclesiae catholicae, amplissimo

Christi Redemptoris beneficio, expultrici servitutis, veraeque inter homines libertatis, fraternitatis, aequalitatis effectrici, satis numquam, proinde ac de prosperitate gentium merita est, haberi potest vel laudis vel gratiae.

Saeculo inclinante quinto decimo, quo tempore, funestâ servitutis labe apud gentes christianas prope deleta, sese civitates in libertate evangelica stabilire atque etiam latius proferre imperium studebant, haec Apostolica Sedes diligentissime cavit, necubi mala eiusdem pravitatis germina reviviscerent. Ad regiones igitur nove repertas Africae, Asiae, Americae, vigilem providentiam intendit: fama enim manaverat, earum duces expeditionum, homines christianos, armis ingenioque minus recte uti, ad struendam imponendamque innoxiis nationibus servitutem. Cruda scilicet natura soli, quod erat subigendum, neque minus metallorum opes explorandae effodiendae, quum operas bene validas postularent, iniusta plane suscepta sunt atque inhumana consilia. Fieri enim coepta est quaedam mercatura, servis ad id opus ex Aethiopia deportandis, quae, nominata deinceps *la tratta dei Negri,* nimium quantum eas occupavit colonias. Secuta quoque est, non absimili iniuria, indigenarum hominum (qui universe *Indi* appellati) ad modum servitutis oppressio. His de rebus ubi Pius II certior est factus, morâ nulla interposita, die VII Octobris an. MCCCCLXII, epistolam dedit ad episcopum Rubicensem, qua tantam improbitatem redarguit et damnavit. Aliquo post tempore, Leo X quantum potuit officiorum et auctoritatis apud reges et Lusitaniae et Hispaniarum adhibuit,

qui eam licentiam, religioni pariter atque humanitati iustitiaeque probrosam, radicitus excidendam curarent. Nihilo minus ea calamitas confirmata haerebat, manente impura causa, inexplebili habendi cupiditate. Tum Paulus III, de conditione Indorum servorumque maurorum paterna caritate anxius, ad hoc venit extremum consilii, ut solemni decreto, in luce quasi conspectuque omnium gentium, pronuntiaret, triplicis modi potestatem illis deberi universis iustam et propriam; posse nimirum sui quemque esse iuris, posse consociatos suis legibus vivere, posse rem sibi facere et habere. Hoc amplius, litteris missis ad Card. Archiepiscopum Toletanum, qui fecissent contra idem decretum, in eos statuit interdictionem sacrorum, integra romano Pontifici reconciliandi facultate [1]. Eâdem providentia eademque constantia, Indis atque Mauris, iisque vel nondum christiana fide instructis, alii subinde Pontifices sese assertores libertatis acerrimos praestitere, Urbanus VIII, Benedictus XIV, Pius VII; qui praeterea in principum Europae foederatorum Vindobonensi conventu, communia consilia huc etiam advertit, ut ea Nigritarum distractio, quam diximus, multis iam desueta locis, funditus convelleretur. Etiam Gregorius XVI negligentes humanitatis et legum gravissime admonuit, idemque Apostolicae Sedis decreta statutasque poenas revocavit, et rationem nullam praetermisit ut externae quoque nationes, europaearum secutae mansuetudinem, a

[1] *Veritas ipsa,* 2 Iun. 1559.

dedecore et feritate servitutis abstinerent, abhorrerent [1]. Opportunissime vero Nobis accidit, ut suâ summos principes rerumque publicarum moderatores gratulatione prosequamur, quibus perseveranter instantibus, querimoniis diuturnis aequissimisque naturae et religionis iam satis est factum.

In re tamen persimili residet Nobis in animo alia quaedam cura quae non mediocriter angit, et Nostram urget sollicitudinem. Quippe tam turpis hominum mercatura ea quidem mari fieri desiit, terrâ vero nimis multum nimisque barbare exercetur; idque maxime in nonnullis Africae partibus. Hoc enim perverse a Mahometanis posito, hominem Aethiopem adsimilisve nationis vix aliquo numero supra esse beluam, videre licet et horrere perfidiam hominum atque immanitatem. Ex improviso in Aethiopum tribus tale nihil metuentes more irruunt impetuque praedonum; in pagos, in villas, in mapalia incursant, omnia vastant, populantur, diripiunt; viros perinde et feminas et pueros, facile captos vinctosque abducunt, ut per vim ad nundinas trahant flagitiosissimas. Ex Aegypto, ex Zanzibar, partim quoque ex Sudan, quasi e stationibus, illae detestabiles expeditiones deduci solent; per longa itinera pergere viri constricti catenis, tenuissimo victu, sub crebra verberum caede; ad haec ferenda imbecilliores necari; qui satis salvi, gregatim cum reliqua turba ire venum, atque emptori

[1] *In supremo Apostolatus fastigio,* 3 Dec. 1837.

prostare moroso et impudenti. Cui vero quisque venditus et permissus sit, discidio miserabili qua uxorum, qua liberorum, qua parentum, illius in potestate ad servitutem adigitur maxime duram et fere nefandam, neque ipsa recusare potest sacra Mahometi. Haec Nos, summa animi aegritudine, a quibusdam non ita ante accepimus, qui coram nec sine lacrimis eiusmodi infamiam et deformitatem spectaverunt: cum iis autem plane cohaerent quae a nuperis Africae aequinoctialis exploratoribus sunt narrata. Quin etiam istorum ex testimonio et fide compertum apparet, ad quater centena millia sic homines afros vendi solitos, pecorum instar, quotannis; quorum dimidiam circiter partem de viis asperrimis languidos concidere ibique interire; ut, sane ad dicendum quam triste, velut factam ex residuis ossibus semitam ea loca peragrantes dispiciant. — Quis non tantarum miseriarum cogitatione moveatur? Nos equidem qui personam gerimus Christi, amantissimi omnium gentium sospitatoris et Redemptoris, quique adeo laetamur de plurimis gloriosisque Ecclesiae promeritis in omne genus aerumnosos, vix possumus eloqui quanta miseratione erga illas afficimur infelicissimas gentes, quanta caritatis amplitudine ad eas pandimus brachia, quam vehementer cupimus omnia ipsis posse allevamenta et subsidia impertire, eo proposito ut, simul cum servitute hominum servitute superstitionis excussa, uni veroque Deo, sub Christi suavissimo iugo, possint tandem servire, divinae hereditatis nobiscum participes. Utinam omnes, quicumque imperio et potestate antece-

dunt, vel iura gentium et humanitatis sancta esse volunt, vel religionis catholicae incrementis ex animo student, ubique omnes, hortantibus rogantibus Nobis, ad eiusmodi mercaturam, qua nulla inhonesta magis et scelerata, comprimendam, prohibendam, extinguendam enixe conspirent. — Interea, dum acriore ingeniorum et operum cursu nova itinera ad africas terras, nova commercia instruuntur, contendant viri apostolici, ut, quoad melius fieri possit, sit saluti servorum libertatique consultum. Huc ipsi alio praesidio nullo reapse proficient, nisi, divinâ gratia roborati, toti sint in disseminanda fide nostra sanctissima eaque laboriosius in dies alenda; cuius est fructus insignis ut libertatem mire conciliet ac pariat *qua Christus nos liberavit*[1]. Itaque, tamquam in speculum virtutis apostolicae, inspiciant monemus in vitam et facta *Petri Claver*, cui recentem gloriae lauream addidimus: in eum inspiciant, qui, summâ laborum constantiâ, annos continenter quadraginta, maurorum gregibus servorum miserrimis sese totum impendit, vere ipsorum Apostolus praedicandus quibus se perpetuum servum et profitebatur et dabat. Caritatem viri, patientiam si curae habeant sumere sibi et referre, ii profecto digni exsistent administri salutis, auctores consolationis, nuntii pacis, qui solitudinem, incultum, feritatem in ubertatem possint religionis cultusque laetissimam, Deo iuvante, convertere.

Iamque in vobis, Venerabiles Fratres, cogitatio et

[1] Galat. IV, 31.

litterae Nostrae gestiunt conquiescere, ut vobis iterum significemus iterumque vobiscum sociemus singulare quod capimus gaudium, ob ea quae isto in Imperio publice inita sunt de servitute consilia. Siquidem per leges quum provisum cautumque sit, ut, quotquot sunt adhuc de conditione servili, in ordinem et iura liberorum debeant admitti, id Nobis ut bonum et faustum et salutare per se videtur, sic etiam spem firmat fovetque ad auctus rei civilis reique sacrae in futurum laetandos. Ita Brasilici nomen Imperii apud humanissimas quasque gentes erit merito in commemoratione et in laudibus, nomenque simul florebit Imperatoris augusti; cuius ea fertur praeclara vox, nihil se habere optatius, quam ut omne in finibus suis servitutis vestigium celeriter deleatur. — At vero, dum ea ipsa legum iussa perficiuntur, incumbite alacres, omni ope rogamus, et operam providentissime date praesenti rei, quam difficultates impediunt profecto non leves. Omnino per vos efficiendum, ut domini et servi optimis inter se animis congruant optimaque fide, neu quidquam de clementia aut de iustitia decedant, sed, quaecumque transigenda sunt, omnia legitime, sedate, christiano modo transigant: quod enim exoptabant omnes, tolli et deleri servitutem, hoc prospere cedat optandum maxime est, nullo divini vel humani iuris incommodo, nulla civitatis perturbatione, atque adeo cum solida ipsorum, quorum agitur causa, utilitate servorum. — Quibus singulatim, sive qui iam facti liberi sunt, sive qui fient propediem, monita nonnulla sa-

lutis, e sententiis delibata magni gentium Apostoli, pastorali cum studio animoque paterno commendamus. Ergo illi memoriam et voluntatem gratam pie ad eos servare diligenterque profiteri studeant, quorum consilio operaque in libertatem vindicati sunt. Tanto se munere numquam praebeant indignos, nec umquam libertatem cum licentia cupiditatum permisceant; eâ vero utantur quo modo cives decet bene moratos, ad industriam vitae actuosae, ad commoda et ornamenta quum familiae tum civitatis. Vereri et colere maiestatem principum, parere magistratibus, legibus obtemperare, haec officia et similia, non tam metu adducti quam religione, assidue exsequantur: etiam cohibeant arceantque alienae copiae et praestantiae invidiam, quae dolendum quam multos ex tenuioribus quotidie torqueat et quam multa ministret nequitiae plena instrumenta adversus ordinum securitatem et pacem. Re sua et statu contenti, nihil carius cogitent, nihil appetant cupidius quam bona regni caelestis, quorum gratiâ in lucem editi sunt et a Christo redempti: de Deo eodemque Domino ac Liberatore suo cum pietate sentiant, eum totis viribus diligant, eius mandata omni cura custodiant. Sponsae eius, Ecclesiae sanctae, se filios esse gaudeant, esse optimos laborent, et quam possint amoris vicem sedulo reddant.

Haec eadem documenta vos item, Venerabiles Fratres, ipsis suadere et persuadere libertis insistite; ut, quod summum est Nobis votum idemque vobis bonisque omnibus esse debet, partae libertatis fructus religio in primis, qua-

cumque istud patet Imperium, amplissimos habeat, ad perpetuitatem persentiat.

Id autem quo succedat felicius, cumulatissimam a Deo gratiam opemque maternam Immaculatae Virginis imploramus et exposcimus. Caelestium munerum auspicem paternaeque Nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque universo Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Maii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

DECRETUM

DE DIGNITATE DECANATUS IN CATHEDRALI CAPITULO ANTIOQUIENSI ERIGENDA.

—

Splendidior apparatus ecclesiastici cultus et sacrorum ministrorum distinctior dignitas sicuti fidelium sensus in pronius inclinant spectantium obsequium, sic eorum animos facilius erigunt ad Dei cultum, in cuius honorem explicantur. Quod secum reputans Episcopus Antioquiensis Iesus Maria Rodriguez opportunum censuit futurum ad fovendam pietatem, si qui prior est inter Cathedralis illius Ecclesiae Canonicos, ad Decanatus dignitatem promoveretur.

Id itaque fieri obsequenter petivit a Summo Pontifice, qui, rei utilitate perspecta, oblatas preces benigno favore prosecutus postulata concessit, sanxitque fieri decretum per consilium a rebus Consistorialibus decernendis, modo qui sequitur:

I.

In Cathedrali Capitulo Antioquiensi erigatur dignitas Capitularis, cui Decanatus nomen inhaereat.

II.

Huiusmodi nominatio tum hac prima vice, tum in singulis subsequuturis, servatis de iure et more servandis, erit penes Apostolicam Sedem.

III.

Hoc Consistoriale decretum perinde habeatur plane valiturum, ac si litterae Apostolicae sive in forma Brevis, sive sub plumbo sollemni modo expeditae fuissent.

IV.

Exequatur hoc decretum Episcopus Antioquiensis Iesus Maria Rodriguez per se, vel per aliam ab eo subdelegandam personam, quae, ut ipse, ea omnia constituere possit, quae ad hoc opus perficiendum videntur necessaria.

V.

Si quae difficultas supervenerit, ea, secundum canonicas leges, deferenda erit ad Apostolicam Sedem, cuius erit eam declarare, emendare aut componere.

VI.

Nemini liceat hoc decretum sive obreptionis, sive subreptionis, sive alterius speciei cuiusvis vitio defectuve

impugnare, aut infringere, aut notare, contrariis quibuscumque non obstantibus.

VII.

Decreti vero in rei executione ferendi authenticum exemplar, intra sex menses ab executione, mittatur ad Sanctam Sedem per consilium a rebus Consistorialibus decernendis.

VIII.

Huiusce autem ferendi decreti exemplar in tabulario Consistoriali sedula cura asservetur.

Datum Romae hac die 5 Maii anno Domini 1888, Sacri Principatus anno XI.

F. Mercurelli Secretarius

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE VICARIATUS APOSTOLICI A CONGO BELGICO NUNCUPANDI.

—

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant ea ut mature praestemus, Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris, immeriti licet, fungimur. Iamvero ut in amplissimo Congi independentis territorio sub ditione posito dilectissimi in Christo filii Nostri Belgarum Regis, cuius in catholicas missiones sollicitudo, studium ac liberalitas perspecta est, maiora fidei incrementa promoverentur ac maturius ibidem christianae sanctitatis fructus succrescere possent, quam peropportuna visa est erectio novi Vicariatus Apostolici, qui ad praedictas regiones extendatur, quae sub nomine Congi Belgici seu independentis veniunt. Nos itaque, omnibus rei momentis attente ac sedulo perpensis, cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec quae infrascripta sunt decernimus atque

constituimus. Nimirum, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, novum Vicariatum Apostolicum, auctoritate Nostra, tenore praesentium, erigimus, qui regiones omnes comprehendat quae nomine Congi Belgici sive independentis gaudent, iis tantum exceptis, in quibus per Apostolicas litteras die xxx Decembris mensis anno MDCCCLXXXVI datas Vicariatus erectus fuit superioris Congi dictus; eidemque novo Vicariatui a Congo Belgico seu independente nomen facimus. Porro praecipimus ut fines eiusdem sequentes sint, scilicet ad septentrionem, meridiem et occidentem novus dictus Vicariatus iisdem circumscribatur terminis qui praedictum Congum Belgicum definiunt. Ad orientem vero terminetur arcu meridiano 30 long. orientalis a Greenwich, incipiendo a gr. 4 lat. australis usque ad lacum « Muta Nsige » meridiem versus; deinde finiatur ora boreali et occidentali dicti lacus usque ad eius extremitatem australem, et exinde linea quae ab extremitate praedicta perducitur ad ostium fluminis « Lira » in « Luasaba »; quem postremum fluvium limes releget usque ad « Moero » lacum; hunc ad occidentem circumscribet et per amnis « Luapusa » tramitem ad oram extremam occiduo-meridionalem lacus « Bangweolo » perveniet. Huiusmodi autem Vicariatus curam suscipere volumus, Congregationem Immaculati Cordis Mariae de Scheutveld, cui ad praedictum effectum Congi Belgici evangelizandi addicitur et unitur iuxta Belgarum Regis votum seminarium Africanum Lovanii haud pridem erectum. Decernentes praesen-

tes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XI Maii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. CARD. LEDOCHOWSKI

ALLOCUTIO

HABITA DIE I IUNII MDCCCLXXXVIII

AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBUS VATICANIS.

VENERABILES FRATRES

Mirandum sane fidei pietatisque publicae exemplum toto hoc anno, sacerdotii Nostri quinquagesimo, singulari munere providentissimoque Dei consilio, ubique gentium intueri licuit. Stipati sumus peregre convenientium quotidiana frequentia: obsequia accepimus ab omnibus civitatum ordinibus, eaque variis, nec opinatis testata modis. Ad plura hominum millia ex omni Europa, non paucos ex remotioribus Americae partibus, novissimeque ex Africa his in tectis venerabundos complexi sumus.

In hoc pietatis pulcherrimo honestissimoque certamine, perspicere potuistis, Venerabiles Fratres, qualem sibi locum Italicae gentes vindicarint: quae scilicet suum illum veterem ac perennem in Apostolicam Sedem animum luculenta et multiplici significatione confirmarunt. — Consentaneum videbatur, idque prudentia atque humanitas ipsa postulabant, gratulantium vocibus nihil admisceri

dissonum. Non defuere tamen domi qui dissentirent; quin immo his ipsis honoribus Pontifici romano magnificentius habitis recruduisse eorum videtur offensio, qui Ecclesiam implacabilius oderunt: quorum infensus atque inimicus animus, toto hoc intervallo, insolentius quam alias, mixtis ad probra minis, erupit. Iidem vero, quoniam plurimum possunt, nunc quidem prae se consilia sua confidentius ferunt: multiplicatisque passim impedimentis, maioribus in dies adstringere vinculis Ecclesiam moliuntur. Cuiusmodi propositi, si cetera deessent, Codex delictorum et poenarum, de quo in coetu legumlatorum sententiae dicuntur, novum praebet ac lamentabile testimonium: in iis intelligimus legum capitibus, quae recta Clerum catholicum, oblique vero Sedis Apostolicae iura attingunt. Cumque res agatur permagni momenti, de ea ipsa vobiscum, Venerabiles Fratres, animum Nostrum breviter communicare decrevimus.

Harum legum haec summa est: quaedam delicta finguntur, quibus patria dicitur violari, eaque poenis sanciuntur valde gravibus, nec tamen qualia illa sint explicando definitur. Similiter per speciem prohibendorum discriminum, quae maxime a potentia cleri imminere dicuntur, severissime in sacerdotes animadvertitur, si quid contra leges, contra instituta civilia, vel publicae potestatis acta, vel etiam contra tranquillitatem domesticam, remve cuiusquam familiarem fecisse vel suasisse convincantur. — Istiusmodi leges, Venerabiles Fratres, non est dubium quo reapse pertineant, praesertim si coniun-

cte accipiantur cum ceteris in genere non dissimili, maxime vero cum satis aliunde sint auctorum consilia cognita. Primum scilicet vindicandorum romani Pontificatus iurium volunt poenarum metu eripere facultatem. Verum vix attinet dicere quam id sit iniquum, iura sanctissima, cum legitima Ecclesiae libertate apta et connexa, aliis pro arbitrio oppugnare, aliis ne defendere quidem impunite licere. Quoniam vero ea incolumia esse iura, catholicorum omnium magnopere interest, dubitandum non est, extituros toto orbe qui patrocinium Sedis Apostolicae libere suscipiant, solis ex Italia catholicis, qui maxime omnium deberent, lege prohibitis. — Sed quod magis refert, prout saepe diximus, ea Romanorum Pontificum conditio, quae ipsorum est tuendae libertati necessaria, nihil obest rebus italicis, immo plurimum verissimeque prodest, ita ut quicumque eam vindicant libertatem, non hostes patriae, sed optimi sint fidelissimique cives habendi.

Deinde istae ipsae leges simulacro tutandae reipublicae reipsa servitutem Ecclesiae tegunt. Cum enim munus officiumque Ecclesiae sanctissimum sit, omnia constanter praecipere, omniaque, vel invitis hominibus, tueri, quaecumque sibi ad praecipiendum tuendumque Iesus Christus iniunxit, propterea in legibus institutisque civitatum si quid a christianis fidei morumque praeceptis dissideat, probare clerus vel silentio dissimulare non potest, proposito sibi Apostolorum exemplo, qui de Iesu Christo eiusque doctrina silere a magistratibus iussi, impavido pectore respondebant: « *si iustum est in conspectu Dei, vos po-*

tius audire, quam Deum, iudicate » [1]. Qualis erat christiani nominis fortuna futura, si quibuslibet populorum institutis, si magistratuum iussis nullo discrimine, vera iniquane forent, Ecclesia paruisset? Mansisset sancita legibus superstitio vetus, nec ullo modo humanum genus ad Evangelii lumen emersisset.

Sed illud in primis iniuriosum, defensionis caussâ, apparari arma contra Ecclesiam oportere. Itane vero? Omnis est iustitiae magistra et custos Ecclesia, iniurias pati nata, non facere. — Valde etiam a veritate est iustitiaque alienum, universum clericorum ordinem in suspiciones tam graves sine iusta caussa vocari. Neque enim ulla ratione apparet quid caussae sit, cur nova in eos decreta sciscantur. Quo tempore clerus italicus, quove loco, male de salute vel tranquillitate publica meruit? — Sed si altius rei momenta repetantur, apparet, quantopere ista legum capita sanctissimis Ecclesiae institutis repugnent. Ecclesia enim, Dei voluntate, perfecta societas est, et quemadmodum leges suas, ita suos habet magistratus, potestatis gradu rite distinctos, quorum est princeps omnium Pontifex romanus, universae Ecclesiae divino iure praepositus, idemque Dei solius potestati iudicioque subiectus. In hoc igitur quod in Ecclesiae instituta invadunt, inferunt potius, quam propulsant iniurias. Idque faciunt lege singulari, meditata severitate, nec definitis certisque sententiis, sed vagis latissimeque patentibus, nihil ut non

[1] Act. IV, 19.

audere interpretandi libido queat. Mirum igitur non est, si indignitas rei tot iam improbantium vel expostulantium voces expressit.

Novimus latas etiam alibi contra clerum leges. Verum non fiunt exemplis haec, de quibus loquimur, probabiliora: et quod maius est, huius generis legibus Ecclesia quidem nuspiam nulloque modo acquievit, sed, quantum potuit, perpetuo restitit. Neque est praetereundum, latas eas esse, cum studia partium contra catholicum nomen vehementius exarsissent, et unâ simul aequitas mentibus, tranquillitas rebus abesset. Pacatis animis, meliora consilia non uno loco ineuntur, legumque illarum odiosam vim cernimus partim desuetudine hebescere, partim contrariis legibus deleri.

His de caussis Nostrum est Apostolicam vocem tollere, aperteque, uti facimus, testari, leges, de quibus agitur, iuri potestatique Ecclesiae esse contrarias, libertati sacrorum munerum obesse, de Episcoporum, de cleri universi, in primisque de Sedis Apostolicae dignitate plurimum detrahere, ita quidem ut eas constituere, probare, sancire minime liceat.

Atque haec non ob eam caussam conquerimur, quod acrioris belli advenientes impetus metuamus. Alias vidit Ecclesia procellas, de quibus tamen omnibus non modo victrix, sed pulchrior et fortior evasit. Divina virtus tutam ab hominibus facit. — Novimus Episcopos; non ignoramus ceterum Italiae clerum: si in eos casus inciderint, ut alterutrum necesse sit, displicere hominibus, aut in officiis sanctissimis delinquere, non dubitamus quid acturi sint.

Sed illud Nos vehementer excruciat, Ecclesiam et Pontificatum pervicacius in Italia oppugnari, cum tamen itali homines numero longe maximo Pontificatum et Ecclesiam religiosissime observent et colant constantia mirabili, et ab Ecclesia et a Pontificatu infinita vis beneficiorum in italicum nomen semper influxerit. Illud Nos pariter angit, cunctis opibus viribusque secundum vota *sectarum* elaborari ut ab Ecclesiae complexu hic abstrahatur populus, in materno ipsius sinu altus atque educatus: nec minus dolemus, quod consilio fiat asperius, longiusque ducatur istud cum Ecclesia dissidium, quod Nos, et Ecclesiae ipsius caussâ et caritate patriae, maxime velimus, ut saepe diximus, quo modo iustitia, Sedisque Apostolicae iura postulant, omnino sublatum. Velle, imperia perpetuo cum Ecclesia confligere, stultum consilium est, perniciosissimum rebus publicis: nulli tamen quam Italorum generi perniciosius. — Quamobrem, quoniam plura non possumus, etiam atque etiam Deum obsecramus, huc propitius respiciat, meliorum temporum auctor: nominatimque Italiae populis largiatur, ut fidem catholicam integram, cum amore Sedis Apostolicae coniunctam, perpetuo custodiant, atque horum bonorum caussâ quidvis pati et perpeti ne recusent.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS MAGNO ORDINIS S. IOANNIS HIEROSOLYMITANI MAGISTRO EMINENTIAE AC EMINENTISSIMI TITULUS REDDITUR.

DILECTO FILIO
FRATRI IOANNI BAPTISTAE CESCHI A SANCTA CRUCE
MAGNO ORDINIS S. IOANNIS HIEROSOLYMITANI MAGISTRO.

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Inclytum antiquitate originis, fratrum militum nobilitate ac virtute, gloriosis e religione et fide catholica gestis, partisque ex hoste christiani nominis victoriis hospitalem Ordinem S. Ioannis Hierosolymitani nullo unquam tempore Romani Pontifices singulari studio ac benevolentia prosequi destiterunt. Hic enim ordo, Beati Petri Cathedrae semper devotus, primordiis suae institutionis fidelibus peregre hospita Iesu Christi loca sanctissimumque Eius sepulchrum adeuntibus, suaeque pietatis vota inibi solven-

tibus, hospitium curasque omnes praestare, eosque ab infidelium fraudibus et insidiis defendere sibi gloriae duxit. Deinceps plurimorum fratrum numero et donationibus auctus idem ordo sibi proposuit religionem fidemque catholicam omni ope asserere et omne quod infideles eidem machinarentur periculum vitae suae discrimine depellere, barbarisque in christiani nominis cladem et perniciem irruentibus iter suorum quoque fratrum corporibus occludere. Quapropter Summi Pontifices huic militari Ordini Ecclesiae praesidio privilegia et honores praecipuos decrevere, quos inter fel. rec. Urbanus VIII in Consistorio secreto die x Iunii anno MDCXXX habito, Eminentiae et Eminentissimorum titulo Patres Cardinales augens, eodem titulo honorificentissimo donare etiam voluit Magnos Ordinis Hierosolymitani Magistros. Adversis autem, difficillimisque temporibus eidem Ordini ob insignia in rem catholicam merita, omnibus occurrerunt subsidiis, suaque auctoritate fecerunt, ut ille asperrimis bellis, rerumque perturbatione pene eversus suum decus suamque dignitatem retineret. Labentibus inde annis res istius Ordinis licet in melius conversae viderentur, tamen sa. me. Pius VII post obitum Magni Magistri Ioannis Baptistae Tommasi satius pro tempore iudicavit Supremi Magistri electionem differre et Innico Mariae Guevara Suardo, qui vices Magni Magistri gerebat, locumtenentis magisterii nomen et peculiares regendo Ordini reique communi administrandae largitus est facultates, ac postea ceteri omnes ad eiusdem Ordinis regimen vocati, quamvis ex Aposto-

licae Sedis indulgentia paribus supremi capitis oneri et officio facultatibus instructi, nonnisi locumtenentis magisterii nomen et dignitatem habuerunt. Iamvero quum Deo auxiliante fratrum equitum zelo, iisque praesertim quibus summa rerum Ordinis demandata erat, studiisque potentium Europae Principum ita res Ordinis solide firmatae ac feliciter auctae essent, ut liceret maiora etiam in dies laetioraque de ipso sperare; Nos supplicationibus cla. mem. Antonini S. R. E. Cardinalis de Luca Episcopi Praenestini tunc temporis Hierosolymarii Ordinis Protectoris annuentes, per Apostolicas litteras Nostras die XXVIII Martii anno MDCCCLXXIX, servatis servandis, prout in iisdem litteris cautum est, Magni Magistri nomen et honorem restituimus, teque, dilecte fili, optime de Hierosolymario Ordine meritum ex completi, uti dicunt, consilii voluntate, legitimisque suffragiis locumtenentis magisterii munere naviter, sciteque fungentem, libenti, alacrique animo, amplissimo ac honorificentissimo Magni Magistri titulo exornandum censuimus. Modo Venerabilis Frater Noster Raphael S. R. E. Cardinalis Monaco La Valletta Episcopus Albanensis hospitalis Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani Protector Nos rogavit, ut restituto a Nobis Magno eiusdem Ordinis Magistro, eidem titulum etiam ab Urbano VIII, uti supra dictum est, concessum constanterque a Magnis Magistris usque ad dilationem electionis a Pio VII praescriptam adhibitum, confirmare et decernere velimus. Nos igitur ut Nostra erga illustrem hunc Ordinem tot nominibus de religione catholica meritum vo-

luntas vel magis perspecta sit, utque novo hoc Pontificiae dilectionis testimonio idem praenobilis Ordo Beatissimi Petri Cathedrae semper devotus, arctiori vinculo Summo Pontifici Romano et Apostolicae Sedi devinciatur, Eminentiae ac Eminentissimi iam ab Urbano VIII concessum titulum, tibi, dilecte fili, a quo accepimus egregia amoris, observantiae et obsequii argumenta, Tuisque in Magni Magistri Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani munere successoribus rite ac legitime electis et Summi Pontificis Romani auctoritate confirmatis, motu proprio, certa scientia et matura deliberatione Nostra in perpetuum confirmamus, decernimus, una cum honoribus quibus S. R. E. Cardinales in aula Pontificia honestantur alias Tibi concessis. Proinde volumus et praecipimus, ut deinceps tu ac praedicti successores tui Magni Magistri rite, legitimeque electi et Apostolica auctoritate confirmati, tum in actis Ordinis internis tum externis, Eminentiae ac Eminentissimorum titulo uti et appellari omnino debeatis. Decernimus propterea has litteras Nostras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non dicti hospitalis Ordinis Hierosolymitani statutis et capitularibus ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque omnibus licet speciali mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Interim adprecantes Deum, ut te, dilecte fili, universum, cui

praees Ordinem in sui gloriam et Ecclesiae praesidium fortunet, tibique et universo Ordini Hierosolymitano Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XII Iunii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

LITTERAE APOSTOLICAE

DE MONASTERIO S. MARTINI CUCUYAENSIS ORDINIS S. BENEDICTI IN ABBATIAM ERIGENDO.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Pastoralis muneris officio admoniti Romani Pontifices in religiosas familias, ex quibus christiana res tot tantaque emolumenta percipit, curas cogitationesque suas pro re, ac tempore intendunt. Quocirca cum dilectus filius Leopoldus Zelli Abbas S. Pauli de Urbe, Ordinis S. Benedicti, Nobis exponendum curaverit, in votis sibi admodum esse, ut novum eiusdem Ordinis monasterium in dioecesi Portugalliensi anno MDCCCLXXVI institutum, modo attenta monachorum et alumnorum frequentia in Abbatiam erigere dignaremur, Nos, quibus nihil est potius, quam novas monasticae vitae sedes in Ecclesiae bonum peculiuribus privilegiis ditare, votis huiusmodi annuendum libenti animo censuimus. Quam ob rem omnes et singulos quibus Nostrae hae litterae favent peculiari benevolentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et in-

terdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, praedictum novum Ordinis Sancti Benedicti coenobium, de Apostolica Nostra auctoritate, vi praesentium perpetuum in modum in Abbatiam sub titulo S. Martini Cucuyaensis, in dioecesi Portugalliensi, servatis servandis, erigimus cum omnibus et singulis iuribus, privilegiis, honoribus, praeeminentiisque, quibus aliae S. Benedicti Ordinis Abbatiae utuntur, fruuntur, vel uti frui possunt ac poterunt. Decernentes praesentes litteras firmas validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac irritum esse et inane si secus, super his, a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis S. Benedicti etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XII Iunii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

LITTERAE ENCYCLICAE

DE LIBERTATE HUMANA.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Libertas, praestantissimum naturae bonum, idemque intelligentia aut ratione utentium naturarum unice proprium, hanc tribuit homini dignitatem ut sit *in manu consilii sui,* obtineatque actionum suarum potestatem. — Verumtamen eiusmodi dignitas plurimum interest qua ratione geratur, quia sicut summa bona, ita et summa mala ex libertatis usu gignuntur. Sane integrum est homini parere rationi, morale bonum sequi, ad summum finem suum recta contendere. Sed idem potest ad omnia alia deflectere, fallacesque bonorum imagines persecutus, ordinem debitum perturbare, et in interitum ruere voluntarium. — Liberator humani generis Iesus Christus, restituta atque aucta naturae dignitate pristina, plurimum ipsam iuvit hominis voluntatem; eamque hinc adiunctis

gratiae suae praesidiis, illinc sempiterna in caelis felicitate proposita, ad meliora erexit. Similique ratione de hoc tam excellenti naturae bono et merita est et constanter merebitur Ecclesia catholica, proptereaquod eius est, parta nobis per Iesum Christum beneficia in omnem saeculorum aetatem propagare. — Nihilominus complures numerantur, qui obesse Ecclesiam humanae libertati putent. Cuius rei caussa in perverso quodam praeposteroque residet de ipsa libertate iudicio. Hanc enim vel in ipsa sui intelligentià adulterant, vel plus aequo opinione dilatant, ita ut pertinere ad res sane multas contendant, in quibus, si recte diiudicari velit, liber esse homo non potest.

Alias Nos, nominatimque in litteris Encyclicis *Immortale Dei,* de *modernis,* uti loquuntur, *libertatibus* verba fecimus, id quod honestum est secernentes ab eo quod contra: simul demonstravimus, quidquid iis libertatibus continetur boni, id tam esse vetus, quam est veritas: illudque semper Ecclesiam libentissime probare et re usuque recipere solitam. Id quod accessit novi, si verum quaeritur, in parte quadam inquinatiore consistit, quam turbulenta tempora ac rerum novarum libido nimia peperere. — Sed quoniam sunt plures in hac opinione pertinaces, ut eas libertates, in eo etiam quod continent vitii, summum aetatis nostrae decus et constituendarum civitatum fundamentum necessarium putent, ita ut, sublatis iis, perfectam gubernationem reipublicae cogitari posse negent, idcirco videtur, publica No-

bismetipsis utilitate proposita, eiusmodi argumentum pertractari separatim oportere.

Libertatem *moralem* recta persequimur, sive in personis ea singulis, sive in civitate spectetur. — Principio tamen iuvat aliquid de libertate *naturali* breviter dicere, quia quamquam a morali omnino distinguitur, fons tamen atque principium est, unde genus omne libertatis sua vi suaque sponte nascitur. Hanc quidem omnium iudicium sensusque communis, quae certissima naturae vox est, in iis solum agnoscit, qui sint intelligentiae vel rationis compotes, in eâque ipsa caussam inesse apparet, cur auctor eorum, quae ab eo aguntur, verissime habeatur homo. Et recte quidem: nam quando ceteri animantes solis ducuntur sensibus, soloque naturae impulsu anquirunt quae sibi prosint, fugiuntque contraria, homo quidem in singulis vitae factis rationem habet ducem. Ratio autem, quaecumque habentur in terris bona, omnia et singula posse iudicat esse, et aeque posse non esse: et hoc ipso nullum eorum decernens esse necessario sumendum, potestatem optionemque voluntati facit ut eligat, quod lubeat. — Sed *de contingentia*, ut appellant, eorum bonorum, quae diximus, ob hanc caussam iudicare homo potest, quod animum habet naturâ simplicem, spiritualem cogitationisque participem: qui idcirco quod est eiusmodi, non a rebus corporeis ducit originem, neque pendet ex eis in conservatione sui; sed, nulla re intercedente, ingeneratus a Deo, communemque corporum conditionem longo intervallo transgrediens, suum

et proprium habet vivendi genus, suum agendi: quo fit ut, immutabilibus ac necessariis veri bonique rationibus iudicio comprehensis, bona illa singularia nequaquam esse necessaria videat. Itaque cum animos hominum segregatos esse statuitur ab omni concretione mortali eosdemque facultate cogitandi pollere, simul naturalis libertas in fundamento suo firmissime constituitur.

Iamvero sicut animi humani naturam simplicem, spiritualem atque immortalem, sic et libertatem nemo nec altius praedicat, nec constantius asserit Ecclesiâ catholica, quae scilicet utrumque omni tempore docuit, sicque tuetur ut dogma. Neque id solum: sed contra dicentibus haereticis novarumque opinionum fautoribus, patrocinium libertatis Ecclesia suscepit, hominisque tam grande bonum ab interitu vindicavit. In quo genere, litterarum monumenta testantur, insanos Manichaeorum aliorumque conatus quanta contentione repulerit; recentiori autem aetate nemo est nescius quanto studio quantaque vi tum in Concilio Tridentino, tum postea adversus Iansenii sectatores, pro libero hominis arbitrio dimicaverit, nullo tempore nulloque loco *fatalismum* passa consistere.

Libertas itaque, ut diximus, eorum est, qui rationis aut intelligentiae sunt participes, propria: eademque, si natura eius consideretur, nihil est aliud nisi facultas eligendi res ad id, quod propositum est, idoneas, quatenus qui facultatem habet unum aliquod eligendi e pluribus, is est factorum suorum dominus. — Iamvero quia omne, quod rei cuiuspiam adipiscendae caussa assumitur, rationem habet boni, quod

utile dicitur: bonum autem hoc habet naturâ, ut proprie appetitionem moveat, idcirco liberum arbitrium est voluntatis proprium, seu potius ipsa voluntas est, quatenus in agendo habet delectus facultatem. Sed nequaquam voluntas movetur, nisi mentis cognitio velut fax quaedam praeluxerit: videlicet bonum, voluntati concupitum, est necessario bonum quatenus rationi cognitum. Eo vel magis quod in omnibus voluntatibus delectum semper iudicatio praeit de veritate bonorum, et quodnam sit anteponendum ceteris. Atqui iudicare, rationis esse, non voluntatis, nemo sapiens dubitat. Libertas igitur si in voluntate inest, quae natura sua appetitus est rationi obediens, consequitur ut et ipsa, sicut voluntas, in bono versetur rationi consentaneo. — Nihilominus quoniam utraque facultas a perfecto abest, fieri potest ac saepe fit, ut mens voluntati proponat quod nequaquam sit reapse bonum, sed habeat adumbratam speciem boni, atque in id sese voluntas applicet. Verum sicut errare posse reque ipsa errare vitium est, quod mentem non omni parte perfectam arguit, eodem modo arripere fallax fictumque bonum, esto indicium liberi arbitrii, sicut aegritudo vitae, est tamen vitium quoddam libertatis. Ita pariter voluntas, hoc ipso quod a ratione pendet, quando quidquam appetat quod a recta ratione dissideat, vitio quodam funditus inquinat libertatem, eâdemque perverse utitur. Ob eamque caussam Deus infinite perfectus, qui cum sit summe intelligens et per essentiam bonitas, est etiam summe liber, malum culpae velle nulla ratione potest; nec possunt, propter contemplationem summi boni,

beati caelites. Scite Augustinus aliique adversus Pelagianos hoc animadvertebant, si posse deficere a bono secundum naturam esset perfectionemque libertatis, iam Deus, Iesus Christus, Angeli, beati, in quibus omnibus ea potestas non est, aut non essent liberi, aut certe minus perfecte essent, quam homo viator atque imperfectus. De qua re Doctor Angelicus multa saepe disputat, ex quibus effici cogique potest, facultatem peccandi non libertatem esse, sed servitutem. Subtilissime illud in verba Christi Domini [1], « Qui facit peccatum, servus est peccati »: *Unumquodque est illud, quod convenit ei secundum naturam. Quando ergo movetur ab aliquo extraneo, non operatur secundum se, sed ab impressione alterius, quod est servile. Homo autem secundum suam naturam est rationalis. Quando ergo movetur secundum rationem, proprio motu movetur et secundum se operatur: quod est libertatis; quando vero peccat, operatur praeter rationem, et tunc movetur quasi ab alio, retentus terminis alienis: et ideo* « qui facit peccatum, « servus est peccati ». — Quod satis perspicue ipsa viderat philosophia veterum, atque ii praecipue quorum est doctrina, nisi sapientem, liberum esse neminem: sapientem vero, uti exploratum est, nominabant, qui constanter secundum naturam, hoc est honeste et cum virtute vivere didicisset.

Quoniam igitur talis est in homine conditio libertatis, aptis erat adiumentis praesidiisque munienda, quae cunctos

[1] Ioan. VIII, 34.

eius motus ad bonum dirigerent, a malo retraherent: secus multum homini libertas nocuisset arbitrii. — Ac primo quidem *lex,* hoc est agèndorum atque omittendorum norma, fuit necessaria; quae quidem proprie nulla esse in animantibus potest, qui necessitate agunt, propterea quod quidquid agant, naturae agunt impulsu, nec alium ullum sequi ex se possunt in agendo modum. Verum eorum, qui libertate fruuntur, ideo in potestate est agere, non agere, ita vel secus agere, quia tum, quod volunt, eligunt, cum antecessit illud quod diximus rationis iudicium. Quo quidem iudicio non modo statuitur quid honestum naturâ sit, quid turpe, sed etiam quid bonum sit reque ipsa faciendum, quid malum reque ipsa vitandum: ratio nimirum voluntati praescribit quid petere, et a quo debeat declinare, ut homo tenere summum finem suum aliquando possit, cuius caussa sunt omnia facienda. Iamvero haec *ordinatio rationis* lex nominatur. — Quamobrem cur homini lex necessaria sit, in ipso eius libero arbitrio, scilicet in hoc, nostrae ut voluntates a recta ratione ne discrepent, prima est caussa, tamquam in radice, quaerenda. Nihilque tam perversum praeposterumque dici cogitarive posset quam illud, hominem, quia naturâ liber est, idcirco esse oportere legis expertem: quod si ita esset, hoc profecto consequeretur, necesse ad libertatem esse non cohaerere cum ratione: cum contra longe verissimum sit, idcirco legi oportere subesse, quia est naturâ liber. Isto modo dux homini in agendo lex est, eumdemque praemiis poenisque propositis ad recte faciendum allicit, a peccando deterret. —

Talis est princeps omnium *lex naturalis,* quae scripta est et insculpta in hominum animis singulorum, quia ipsa est humana ratio recte facere iubens et peccare vetans. Ista vero humanae rationis praescriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpres rationis, cui mentem libertatemque nostram subiectam esse oporteat. Vis enim legis cum ea sit, officia imponere et iura tribuere, tota in auctoritate nititur, hoc est in vera potestate statuendi officia describendique iura, item poenis praemiisque imperata sanciendi: quae quidem omnia in homine liquet esse non posse, si normam actionibus ipse suis summus sibi legislator daret. Ergo consequitur, ut naturae lex sit ipsa *lex aeterna,* insita in iis qui ratione utuntur, eosque inclinans *ad debitum actum et finem,* eaque est ipsa aeterna ratio creatoris universumque mundum gubernantis Dei. — Ad hanc agendi regulam peccandique frenos singularia quaedam praesidia, Dei beneficio, adiuncta sunt, ad confirmandam hominis regendamque voluntatem aptissima. In quibus princeps est atque excellit divinae virtus *gratiae;* quae cum mentem illustret, voluntatemque salutari constantia roboratam ad morale bonum semper impellat, expeditiorem efficit simulque tutiorem nativae libertatis usum. Ac longe est a veritate alienum, interveniente Deo, minus esse liberos motus voluntarios: nam intima in homine et cum naturali propensione congruens est divinae vis gratiae, quia ab ipso et animi et voluntatis nostrae auctore manat, a quo res omnes convenienter naturae suae moventur. Immo gratia divina, ut monet angelicus

Doctor, ob hanc caussam quod a naturae opifice proficiscitur, mire nata atque apta est ad tuendas quasque naturas. conservandosque mores, vim, efficientiam singularum.

Quae vero de libertate singulorum dicta sunt, ea ad homines civili inter se societate coniunctos facile transferuntur. Nam quod ratio lexque naturalis in hominibus singulis, idem efficit in consociatis *lex humana* ad bonum commune civium promulgata. — Ex hominum legibus aliae in eo versantur quod est bonum malumve naturâ, atque alterum sequi praecipiunt, alterum fugere, adiuncta sanctione debita. Sed istiusmodi decreta nequaquam ducunt ab hominum societate principium, quia societas sicut humanam naturam non ipsa genuit, ita pariter nec bonum procreat naturae conveniens, nec malum naturae dissentaneum: sed potius ipsi hominum societati antecedunt, omninoque sunt a lege naturali ac propterea a lege aeterna repetenda. Iuris igitur naturalis praecepta, hominum comprehensa legibus, non vim solum habent legis humanae, sed praecipue illud multo altius multoque augustius complectuntur imperium, quod ab ipsa lege naturae et a lege aeterna proficiscitur. Et in isto genere legum hoc fere civilis legumlatoris munus est, obedientes facere cives, communi disciplina adhibita, pravos et in vitia promptos coercendo, ut a malo deterriti, id quod rectum est consectentur, aut saltem offensioni noxaeque ne sint civitati. — Alia vero civilis potestatis praescripta non ex naturali iure statim et proxime, sed longius et oblique consequuntur, resque varias definiunt, de quibus non est nisi

generatim atque universe naturâ cautum. Sic suam conferre operam cives ad tranquillitatem prosperitatemque publicam natura iubet: quantum operae, quo pacto, quibus in rebus, non naturâ sed hominum sapientiâ constituitur. Iamvero peculiaribus hisce vivendi regulis prudenti ratione inventis, legitimaque potestate propositis, lex humana proprii nominis continetur. Quae quidem lex ad finem communitati propositum cives universos conspirare iubet, deflectere prohibet: eademque quatenus pedisequa et consentiens est praescriptionibus naturae, ducit ad ea quae honesta sunt, a contrariis deterret. Ex quo intelligitur, omnino in aeterna Dei lege normam et regulam positam esse libertatis, nec singulorum dumtaxat hominum, sed etiam communitatis et coniunctionis humanae. — Igitur in hominum societate libertas veri nominis non est in eo posita ut agas quod lubet, ex quo vel maxima existeret turba et confusio in oppressionem civitatis evasura, sed in hoc, ut per leges civiles expeditius possis secundum legis aeternae praescripta vivere. Eorum vero qui praesunt non in eo sita libertas est, ut imperare temere et ad libidinem queant, quod pariter flagitiosum esset et cum summa etiam reipublicae pernicie coniunctum, sed humanarum vis legum haec debet esse, ut ab aeterna lege manare intelligantur, nec quidquam sancire quod non in ea, veluti in principio universi iuris, contineatur. Sapientissime Augustinus[1]: « *Simul etiam*

[1] *De Lib. Arb.* lib. I cap. 6, n. 15.

te videre arbitror, in illa temporali (*lege*) *nihil esse iustum atque legitimum quod non ex hac aeterna* (*lege*) *sibi homines derivarint*». Si quid igitur ab aliqua potestate sanciatur, quod a principiis rectae rationis dissideat, sitque reipublicae perniciosum, vim legis nullam haberet, quia nec regula iustitiae esset, et homines a bono, cui nata societas est, abduceret.

Natura igitur libertatis humanae, quocumque in genere consideretur, tam in personis singulis quam in consociatis, nec minus in iis qui imperant quam in iis qui parent, necessitatem complectitur obtemperandi summae cuidam aeternaeque rationi, quae nihil est aliud nisi auctoritas iubentis, vetantis Dei. Atque hoc iustissimum in homines imperium Dei tantum abest ut libertatem tollat aut ullo modo diminuat, ut potius tueatur ac perficiat. Suum quippe finem consectari et assequi, omnium naturarum est vera perfectio: supremus autem finis, quo libertas aspirare debet humana, Deus est.

Haec verissimae altissimaeque praecepta doctrinae, vel solo nobis lumine rationis cognita, Ecclesia quidem exemplis doctrinaque divini Auctoris sui erudita passim propagavit, asseruit: quibus ipsis et munus suum metiri, et christianas informare gentes nunquam destitit. In genere morum leges evangelicae non solum omni ethnicorum sapientiae longissime praestant, sed plane vocant hominem atque instituunt ad inauditam veteribus sanctitatem, effectumque propiorem Deo simul efficiunt perfectioris compotem libertatis. — Ita semper permagna vis Ecclesiae ap-

paruit in custodienda tuendaque civili et politica libertate populorum. Eius in hoc genere enumerare merita nihil attinet. Satis est commemorare, servitutem, vetus illud ethnicarum gentium dedecus, operâ maxime beneficioque Ecclesiae deletam. Aequabilitatem iuris, veramque inter homines germanitatem primus omnium Iesus Christus asseruit: cui Apostolorum suorum resonuit vox, non esse Iudaeum, neque Graecum, neque barbarum, neque Scytham, sed omnes in Christo fratres. Tanta est in hac parte tamque cognita Ecclesiae virtus, ut quibuscumque in oris vestigium ponat, exploratum sit, agrestes mores permanere diu non posse: sed immanitati mansuetudinem, barbariae tenebris lumen veritatis brevi successurum. Item populos civili urbanitate excultos magnis afficere beneficiis nullo tempore Ecclesia desiit, vel resistendo iniquorum arbitrio, vel propulsandis a capite innocentium et tenuiorum iniuriis, vel demum operâ danda ut rerum publicarum ea constitutio valeret, quam cives propter aequitatem adamarent, externi propter potentiam metuerent.

Praeterea verissimum officium est vereri auctoritatem, iustisque legibus obedienter subesse: quo fit ut virtute vigilantiaque legum ab iniuria improborum cives vindicentur. Potestas legitima a Deo est, et *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit:* quo modo multum obedientia adipiscitur nobilitatis, cum iustissimae altissimaeque auctoritati adhibeatur. — Verum ubi imperandi ius abest, vel si quidquam praecipiatur rationi, legi aeternae,

imperio Dei contrarium, rectum est non parere, scilicet hominibus, ut Deo pareatur. Sic praecluso ad tyrannidem aditu, non omnia pertrahet ad se principatus: sua sunt salva iura singulis civibus, sua societati domesticae, cunctisque reipublicae membris, data omnibus verae copia libertatis, quae in eo est, quemadmodum demonstravimus, ut quisque possit secundum leges rectamque rationem vivere.

Quod si, cum de libertate vulgo disputant, legitimam honestamque intelligerent, qualem modo ratio oratioque descripsit, exagitare Ecclesiam nemo auderet propter illud quod per summam iniuriam ferunt, vel singulorum libertati, vel liberae reipublicae esse inimicam. — Sed iam permulti Luciferum imitati, cuius est illa nefaria vox *non serviam*, libertatis nomine absurdam quamdam consectantur et meracam licentiam. Cuiusmodi sunt ex illa tam late fusa tamque pollenti disciplina homines, qui se, ducto a libertate nomine, *Liberales* appellari volunt.

Revera quo spectant in philosophia *Naturalistae*, seu *Rationalistae*, eodem in re morali ac civili spectant *Liberalismi* fautores, qui posita a *Naturalistis* principia in mores actionemque vitae deducunt. — Iamvero totius *rationalismi* humanae principatus rationis caput est: quae obedientiam divinae aeternaeque rationi debitam recusans, suique se iuris esse decernens, ipsa sibi sola efficitur summum principium et fons et iudex veritatis. Ita illi, quos diximus, *Liberalismi* sectatores in actione vitae nullam contendunt esse, cui parendum sit, divinam potestatem,

sed sibi quemque esse legem: unde ea philosophia morum gignitur, quam *independentem* vocant, quae sub specie libertatis ab observantia divinorum praeceptorum voluntatem removens, infinitam licentiam solet homini dare. — Quae omnia in hominum praesertim societate quo tandem evadant, facile est pervidere. Hoc enim fixo et persuaso, homini antistare neminem, consequitur caussam efficientem conciliationis civilis et societatis non in principio aliquo extra aut supra hominem posito, sed in libera voluntate singulorum esse quaerendam: potestatem publicam a multitudine velut a primo fonte repetendam, praetereaque, sicut ratio singulorum sola dux et norma agendi privatim est singulis, ita universorum esse oportere universis in rerum genere publicarum. Hinc plurimum posse plurimos: partemque populi maiorem universi iuris esse officiique effectricem. — Sed haec cum ratione pugnare, ex eis quae dicta sunt apparet. Nullum siquidem velle homini aut societati civili cum Deo creatore ac proinde supremo omnium legislatore intercedere vinclum, omnino naturae repugnat, nec naturae hominis tantum, sed rerum omnium procreatarum: quia res omnes effectas cum caussa, a qua effectae sunt, aliquo esse aptas nexu necesse est: omnibusque naturis hoc convenit, hoc ad perfectionem singularum pertinet, eo se continere loco et gradu, quem naturalis ordo postulat, scilicet ut ei quod superius est, id quod est inferius subiiciatur et pareat. — Sed praeterea est huiusmodi doctrina tum privatis hominibus tum civitatibus maxime perniciosa. Sane reiecto ad humanam rationem et solam

et unam veri bonique arbitrio, proprium tollitur boni et mali discrimen; turpia ab honestis non re, sed opinione iudicioque singulorum differunt: quod libeat, idem licebit; constitutâque morum disciplinâ, cuius ad coercendos sedandosque motus animi turbidos nulla fere vis est, sponte fiet ad omnem vitae corruptelam aditus. In rebus autem publicis, potestas imperandi separatur a vero naturalique principio, unde omnem haurit virtutem efficientem boni communis: lex, de iis quae facienda fugiendave sunt statuens, maioris multitudinis permittitur arbitrio, quod quidem est iter ad tyrannicam dominationem proclive. Imperio Dei in hominem hominumque societatem repudiato, consentaneum est nullam esse publice religionem, rerumque omnium quae ad religionem referantur, incuria maxima consequetur. Similiter opinione principatus armata, facile ad seditionem turbasque labitur multitudo, frenisque officii et conscientiae sublatis, nihil praeter vim relinquitur; quae tamen vis tanti non est, ut populares cupiditates continere sola possit. Quod satis testatur dimicatio propemodum quotidiana contra *socialistas*, aliosque seditiosorum greges, qui funditus permovere civitates diu moliuntur. — Statuant igitur ac definiant rerum aequi aestimatores, tales doctrinae proficiantne ad veram dignamque homine libertatem, an potius ipsam pervertant totamque corrumpant.

Certe quidem opinionibus iis vel ipsa immanitate sua formidolosis, quas a veritate aperte abhorrere, easdemque malorum maximorum caussas esse vidimus, non omnes

Liberalismi fautores assentiuntur. Quin compulsi veritatis viribus, plures eorum haud verentur fateri, immo etiam ultro affirmant, in vitio esse et plane in licentiam cadere libertatem, si gerere se intemperantius ausit, veritate iustitiaque posthabita: quocirca regendam gubernandamque recta ratione esse, et quod consequens est, iuri naturali sempiternaeque legi divinae subiectam esse oportere. Sed hic consistendum rati, liberum hominem subesse negant debere legibus, quas imponere Deus velit, alia praeter rationem naturalem via. — Id cum dicunt sibi minime cohaerent. Etenim si est, quod ipsi consentiunt nec dissentire potest iure quisquam, si est Dei legislatoris obediendum voluntati, quia totus homo in potestate est Dei et ad Deum tendit, consequitur posse neminem auctoritati eius legiferae fines modumve praescribere, quin hoc ipso faciat contra obedientiam debitam. Immo vero si tantum sibi mens arrogarit humana, ut, quae et quanta sint tum Deo iura, tum sibi officia, velit ipsa decernere, verecundiam legum divinarum plus retinebit specie quam re, et arbitrium eius valebit prae auctoritate ac providentia Dei. — Necesse est igitur, vivendi normam constanter religioseque, ut a lege aeterna, ita ab omnibus singulisque petere legibus, quas infinite sapiens, infinite potens Deus, qua sibi ratione visum est, tradidit, quasque nosse tuto possumus perspicuis nec ullo modo addubitandis notis. Eo vel magis quod istius generis leges, quoniam idem habent, quod lex aeterna, principium, eumdemque auctorem, omnino et cum ratione concordant et perfectionem adiungunt ad na-

turale ius: eaedemque magisterium Dei ipsius complectuntur, qui scilicet, nostra ne mens neu voluntas in errorem labatur, nutu ductuque suo utramque benigne regit. Sit igitur sancte inviolateque coniunctum, quod nec diiungi potest nec debet, omnibusque in rebus, quod ipsa naturalis ratio praecipit, obnoxie Deo obedienterque serviatur.

Mitiores aliquanto sunt, sed nihilo sibi magis constant, qui aiunt nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, non tamen civitatis: in rebus publicis fas esse a iussis Dei discedere, nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri. Ex quo perniciosum illud gignitur consectarium, civitatis Ecclesiaeque rationes dissociari oportere. — Sed haec quam absurde dicantur, haud difficulter intelligitur. Cum enim clamet ipsa natura, oportere civibus in societate suppetere copias opportunitatesque ad vitam honeste, scilicet secundum Dei leges, degendam, quia Deus est omnis honestatis iustitiaeque principium, profecto illud vehementer repugnat, posse iisdem de legibus nihil curare, vel etiam quidquam infense statuere civitatem. — Deinde qui populo praesunt, hoc omnino rei publicae debent, ut non solum commodis et rebus externis, sed maxime animi bonis, legum sapientiâ, consulant. Atqui ad istorum incrementa bonorum ne cogitari quidem potest quidquam iis legibus aptius, quae Deum habeant auctorem: ob eamque rem qui in regendis civitatibus nolunt divinarum legum haberi rationem, aberrantem faciunt ab instituto suo et a praescriptione naturae po-

liticam potestatem. Sed quod magis interest, quodque alias Nosmetipsi nec semel monuimus, quamvis principatus civilis non eodem, quo sacer, proxime spectet, nec iisdem eat itineribus, in potestate tamen gerenda obviam esse interdum alteri alter necessario debet. Est enim utriusque in eosdem imperium, nec raro fit, ut iisdem de rebus uterque, etsi non eadem ratione, decernat. Id quotiescumque usuveniat, cum confligere absurdum sit, sapientissimaeque voluntati Dei aperte repugnet, quemdam esse modum atque ordinem necesse est, ex quo, caussis contentionum certationumque sublatis, ratio concors in agendis rebus existat. Et huiusmodi concordiam non inepte similem coniunctioni dixere, quae animum inter et corpus intercedit, idque commodo utriusque partis: quarum distractio nominatim est perniciosa corpori, quippe cuius vitam extinguit.

Quae quo melius appareant, varia libertatis incrementa, quae nostrae quaesita aetati feruntur, separatim considerari oportet. — Ac primo illud in singulis personis videamus, quod est tantopere virtuti religionis contrarium, scilicet de *libertate*, uti loquuntur, *cultus*. Quae hoc est veluti fundamento constituta, integrum cuique esse, aut quam libuerit, aut omnino nullam profiteri religionem. — Contra vero ex omnibus hominum officiis illud est sine dubitatione maximum ac sanctissimum, quo pie religioseque Deum colere homines iubemur. Idque necessario ex eo consequitur, quod in Dei potestate perpetuo sumus, Dei numine providentiaque gubernamur, ab eoque profecti, ad

eum reverti debemus. — Huc accedit, virtutem veri nominis nullam esse sine religione posse: virtus enim moralis est, cuius officia versantur in iis, quae ducunt ad Deum, quatenus homini est summum atque ultimum bonorum; ideoque religio quae *operatur ea, quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum* [1], cunctarum princeps est moderatrixque virtutum. Ac si quaeratur, cum plures et inter se dissidentes usurpentur religiones, quam sequi unam ex omnibus necesse sit, eam certe ratio et natura respondent, quam Deus iusserit, quam ipsam facile homines queant notis quibusdam exterioribus agnoscere, quibus eam distinxisse divina providentia voluit, quia in re tanti momenti summae errorem ruinae essent consecuturae. Quapropter oblata illa, de qua loquimur, libertate, haec homini potestas tribuitur, ut officium sanctissimum impune pervertat vel deserat, ideoque ut aversus ab incommutabili bono sese ad malum convertat: quod, sicut diximus, non libertas sed depravatio libertatis est, et abiecti in peccatum animi servitus.

Eadem libertas si consideretur in civitatibus, hoc sane vult, nihil esse quod ullum Deo cultum civitas adhibeat aut adhiberi publice velit: nullum anteferri alteri, sed aequo iure omnes haberi oportere, nec habita ratione populi, si populus catholicum profiteatur nomen. Quae ut recta essent, verum esse oporteret, civilis hominum communitatis officia adversus Deum aut nulla esse, aut im-

[1] S. Th. II-II. qu. LXXXI. a 6.

pune solvi posse: quod est utrumque aperte falsum. Etenim dubitari non potest quin sit Dei voluntate inter homines coniuncta societas, sive partes, sive forma eius spectetur quae est auctoritas, sive caussa, sive earum, quas homini parit, magnarum utilitatum copia. Deus est, qui hominem ad congregationem genuit atque in coetu sui similium collocavit, ut quod natura eius desideraret, nec ipse assequi solitarius potuisset, in consociatione reperiret. Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum agnoscat necesse est, atque eius potestatem dominatumque vereatur et colat. Vetat igitur iustitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eademque singulis iura promiscue largiri. — Cum igitur sit unius religionis necessaria in civitate professio, profiteri eam oportet quae unice vera est, quaeque non difficulter, praesertim in civitatibus catholicis, agnoscitur, cum in ea tamquam insignitae notae veritatis appareant. Itaque hanc, qui rempublicam gerunt, conservent, hanc tueantur, si volunt prudenter atque utiliter, ut debent, civium communitati consulere. Publica enim potestas propter eorum qui reguntur utilitatem constituta est: et quamquam hoc proxime spectat, deducere cives ad huius, quae in terris degitur, vitae prosperitatem, tamen non minuere, sed augere homini debet facultatem adipiscendi summum illud atque extremum bonorum, in quo felicitas hominum sempiterna consistit: quo perveniri non potest religione neglecta.

Sed haec alias uberius exposuimus: in praesentia id animadverti tantum volumus, istiusmodi libertatem valde obesse verae cum eorum qui regunt, tum qui reguntur, libertati. Prodest autem mirifice religio, quippe quae primum ortum potestatis a Deo ipso repetit, gravissimeque principes iubet, officiorum suorum esse memores, nihil iniuste acerbeve imperare, benigne ac fere cum caritate paterna populo praeesse. Eadem potestati legitimae cives vult esse subiectos, ut Dei ministris; eosque cum rectoribus reipublicae non obedientiâ solum, sed verecundiâ et amore coniungit, interdictis seditionibus, cunctisque inceptis quae ordinem tranquillitatemque publicam perturbare queant, quaeque tandem caussam afferunt cur maioribus frenis libertas civium constringatur. Praetermittimus quantum religio bonis moribus conducat, et quantum libertati mores boni. Nam ratio ostendit, et historia confirmat, quo sint melius moratae, eo plus libertate et opibus et imperio valere civitates.

Iam aliquid consideretur de *libertate loquendi,* formisque litterarum quodcumque libeat exprimendi. Huius profecto non modice temperatae sed modum et finem transeuntis libertatis ius esse non posse, vix attinet dicere. Est enim ius facultas moralis, quam, ut diximus saepiusque est dicendum, absurdum est existimare, veritati et mendacio, honestati et turpitudini promiscue et communiter a natura datam. Quae vera, quae honesta sunt, ea libere prudenterque in civitate propagari ius est, ut ad quamplures pertineant; opinionum mendacia, quibus nulla menti capitalior

pestis, item vitia quae animum moresque corrumpunt, aequum est auctoritate publica diligenter coerceri, ne serpere ad perniciem reipublicae queant. Peccata licentis ingenii, quae sane in oppressionem cadunt multitudinis imperitae, rectum est auctoritate legum non minus coerceri, quam illatas per vim imbecillioribus iniurias. Eo magis quod civium pars longe maxima praestigias cavere captionesque dialecticas, praesertim quae blandiantur cupiditatibus, aut non possunt omnino, aut sine summa difficultate non possunt. Permissa cuilibet loquendi scribendique infinita licentia, nihil est sanctum inviolatumque permansurum: ne illis quidem parcetur maximis verissimisque naturae iudiciis, quae habenda sunt velut commune idemque nobilissimum humani generis patrimonium. Sic sensim obducta tenebris veritate, id quod saepe contingit, facile dominabitur opinionum error perniciosus et multiplex. Qua ex re tantum capiet licentia commodi, quantum detrimenti libertas: eo enim est maior futura libertas ac tutior, quo frena licentiae maiora. — At vero de rebus opinabilibus disputationi hominum a Deo permissis, utique quod placeat sentire, quodque sentiatur, libere eloqui concessum est, non repugnante natura: talis enim libertas nunquam homines ad opprimendam veritatem, saepe ad indagandam ac patefaciendam deducit.

De ea, quam *docendi libertatem* nominant, oportet non dissimili ratione iudicare. — Cum dubium esse non possit quin imbuere animos sola veritas debeat, quod in ipsa intelligentium naturarum bonum est et finis et perfectio

sita, propterea non debet doctrina nisi vera praecipere, idque tum iis qui nesciant, tum qui sciant, scilicet ut cognitionem veri alteris afferat, in alteris tueatur. Ob eamque caussam eorum, qui praecipiunt, plane officium est eripere ex animis errorem, et ad opinionum fallacias obsepire certis praesidiis viam. Igitur apparet, magnopere cum ratione pugnare, ac natam esse pervertendis funditus mentibus illam, de qua institutus est sermo, libertatem, quatenus sibi vult quidlibet pro arbitratu docendi licentiam: quam quidem licentiam civitati dare publica potestas, salvo officio, non potest. Eo vel magis quod magistrorum apud auditores multum valet auctoritas, et verane sint, quae a doctore traduntur, raro admodum diiudicare per se ipse discipulus potest.

Quamobrem hanc quoque libertatem, ut honesta sit, certis finibus circumscriptam teneri necesse est: nimirum ne fieri impune possit, ut ars docendi in instrumentum corruptelae vertatur. — Veri autem, in quo unice versari praecipientium doctrina debet, unum est naturale genus, supernaturale alterum. Ex veritatibus naturalibus, cuiusmodi sunt principia naturae, et ea quae ex illis proxime ratione ducuntur, existit humani generis velut commune patrimonium: in quo, tamquam fundamento firmissimo, cum mores et iustitia et religio, atque ipsa coniunctio societatis humanae nitatur, nihil tam impium esset tamque stolide inhumanum, quam illud violari ac diripi impune sinere. — Nec minore conservandus religione maximus sanctissimusque thesaurus earum rerum, quas Deo

auctore cognoscimus. Argumentis multis et illustribus, quod saepe Apologetae consueverunt, praecipua quaedam capita constituuntur, cuiusmodi illa sunt; quaedam esse a Deo divinitus tradita: Vnigenitum Dei Filium carnem factum, ut testimonium perhiberet veritati: perfectam quamdam ab eo conditam societatem, nempe Ecclesiam, cuius ipsemet caput est, et quacum usque ad consummationem saeculi se futurum esse promisit. Huic societati commendatas omnes, quas ille docuisset, veritates voluit, hac lege, ut eas ipsa custodiret, tueretur, legitima cum auctoritate explicaret: unâque simul iussit, omnes gentes Ecclesiae suae, perinde ac sibimetipsi, dicto audientes esse: qui secus facerent, interitu perditum iri sempiterno. Qua ratione plane constat, optimum homini esse certissimumque magistrum Deum, omnis fontem ac principium veritatis, item Vnigenitum, qui est in sinu Patris, viam, veritatem, vitam, lucem veram, quae illuminat omnem hominem, et ad cuius disciplinam dociles esse omnes homines oportet: *Et erunt omnes docibiles Dei* [1]. — Sed in fide atque in institutione morum, divini magisterii Ecclesiam fecit Deus ipse participem, eamdemque divino eius beneficio falli nesciam: quare magistra mortalium est maxima ac tutissima, in eâque inest non violabile ius ad magisterii libertatem. Revera doctrinis divinitus acceptis se ipsa Ecclesia sustentans, nihil habuit antiquius, quam ut munus sibi demandatum a Deo sancte expleret: eadem-

[1] Ioan. VI. v. 45.

que circumfusis undique difficultatibus fortior, pro libertate magisterii sui propugnare nullo tempore destitit. Hac via orbis terrarum, miserrima superstitione depulsa, ad christianam sapientiam renovatus est. — Quoniam vero ratio ipsa perspicue docet, veritates divinitus traditas et veritates naturales inter se oppositas esse revera non posse, ita ut quodcumque cum illis dissentiat, hoc ipso falsum esse necesse sit, idcirco divinum Ecclesiae magisterium tantum abest ut studia discendi atque incrementa scientiarum intercipiat, aut cultioris humanitatis progressionem ullo modo retardet, ut potius plurimum afferat luminis securamque tutelam. Eademque causa non parum proficit ad ipsam libertatis humanae perfectionem, cum Iesu Christi servatoris sit illa sententia, fieri hominem veritate liberum. *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*[1]. — Quare non est caussa, cur germana libertas indignetur, aut veri nominis scientia moleste ferat leges iustas ac debitas, quibus hominum doctrinam contineri Ecclesia simul et ratio consentientes postulant. Quin imo Ecclesia, quod re ipsa passim testatum est, hoc agens praecipue et maxime ut fidem christianam tueatur, humanarum quoque doctrinarum omne genus fovere et in maius provehere studet. Bona enim per se est et laudabilis atque expetenda elegantia doctrinae: praetereaque omnis eruditio, quam sana ratio pepererit, quaeque rerum veritati respondeat, non mediocriter ad ea ipsa illustranda valet, quae Deo auctore credimus.

[1] Ioan. VIII. 32.

Revera Ecclesiae haec beneficia debentur sane magna, quod praeclare monumenta sapientiae veteris conservarit: quod scientiarum domicilia passim aperuerit; quod ingeniorum cursum semper incitaverit, studiosissime has ipsas artes alendo, quibus maxime urbanitas aetatis nostrae coloratur. — Denique praetereundum non est, immensum patere campum, in quo hominum excurrere industria, seseque exercere ingenia libere queant: res scilicet quae cum doctrina fidei morumque christianorum non habent necessariam cognationem, vel de quibus Ecclesia, nulla adhibita sua auctoritate, iudicium eruditorum relinquit integrum ac liberum. — His ex rebus intelligitur, quae et qualis illa sit in hoc genere libertas, quam pari studio volunt et praedicant *liberalismi* sectatores. Ex una parte sibi quidem ac reipublicae licentiam adserunt tantam, ut cuilibet opinionum perversitati non dubitent aditum ianuamque patefacere: ex altera Ecclesiam plurifariam impediunt, eiusque libertatem in fines quantum possunt maxime angustos compellunt, quamquam ex Ecclesiae doctrina non modo nullum incommodum pertimescendum sit, sed magnae omnino utilitates expectandae.

Illa quoque magnopere praedicatur, quam *conscientiae libertatem* nominant: quae si ita accipiatur, ut suo cuique arbitratu aeque liceat Deum colere, non colere, argumentis quae supra allata sunt, satis convincitur. — Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut homini ex conscientia officii, Dei voluntatem sequi et iussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec

digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior: eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara. Huius generis libertatem sibi constanter vindicavere Apostoli, sanxere scriptis Apologetae, Martyres ingenti numero sanguine suo consecravere. Et merito quidem: propterea quod maximam iustissimamque Dei in homines potestatem, vicissimque hominum adversus Deum princeps maximumque officium, libertas haec christiana testatur. Nihil habet ipsa cum animo seditioso nec obediente commune: neque ullo pacto putanda est, velle ab obsequio publicae potestatis desciscere, propterea quod imperare atque imperata exigere, eatenus potestati humanae ius est, quatenus cum potestate Dei nihil dissentiat, constitutoque divinitus modo se contineat. At vero cum quidquam praecipitur quod cum divina voluntate aperte discrepet, tum longe ab illo modo disceditur, simulque cum auctoritate divina confligitur: ergo rectum est non parere.

Contra *Liberalismi* fautores, qui herilem atque infinite potentem faciunt principatum, vitamque nullo ad Deum respectu degendam praedicant, hanc de qua loquimur coniunctam cum honestate religioneque libertatem minime agnoscunt: cuius conservandae caussa si quid fiat, iniuria et contra rempublicam factum criminantur. Quod si vere dicerent, nullus esset tam immanis dominatus, cui subesse et quem ferre non oporteret.

Vehementer quidem vellet Ecclesia, in omnes reipublicae ordines haec, quae summatim attigimus, christiana

documenta re usuque penetrarent. In iis enim summa efficacitas inest ad sananda horum temporum mala, non sane pauca nec levia, eaque magnam partem iis ipsis nata libertatibus, quae tanta praedicatione efferuntur, et in quibus salutis gloriaeque inclusa semina videbantur. Spem fefellit exitus. Pro iucundis et salubribus acerbi et inquinati provenere fructus. Si remedium quaeritur, sanarum doctrinarum revocatione quaeratur, a quibus solis conservatio ordinis, adeoque verae tutela libertatis fidenter expectari potest. — Nihilominus materno iudicio Ecclesia aestimat grave pondus infirmitatis humanae: et qualis hic sit, quo nostra vehitur aetas, animorum rerumque cursus, non ignorat. His de caussis, nihil quidem impertiens iuris nisi iis quae vera quaeque honesta sint, non recusat quominus quidpiam a veritate iustitiaque alienum ferat tamen publica potestas, scilicet maius aliquod vel vitandi caussa malum, vel adipiscendi aut conservandi bonum. Ipse providentissimus Deus cum infinitae sit bonitatis, idemque omnia possit, sinit tamen esse in mundo mala, partim ne ampliora impediantur bona, partim ne maiora mala consequantur. In regendis civitatibus rectorem mundi par est imitari: quin etiam cum singula mala prohibere auctoritas hominum non possit, debet *multa concedere atque impunita relinquere, quae per divinam tamen providentiam vindicantur, et recte* [1]. Verumtamen in eiusmodi rerum adiunctis, si communis boni caussâ et hac tantum

[1] S. August. *de lib. arb.* lib. I. cap. 6. num. 14.

caussa, potest vel etiam debet lex hominum ferre toleranter malum, tamen nec potest nec debet id probare aut velle per se: quia malum per se cum sit boni privatio, repugnat bono communi, quod legislator, quoad optime potest, velle ac tueri debet. Et hac quoque in re ad imitandum sibi lex humana proponat Deum necesse est, qui in eo quod mala esse in mundo sinit, *neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult permittere mala fieri, et hoc est bonum* [1]. Quae doctoris Angelici sententia brevissime totam continet de malorum tolerantia doctrinam. — Sed confitendum est, si vere iudicari velit, quanto plus in civitate mali tolerari pernecesse est, tanto magis distare id genus civitatis ab optimo: itemque tolerantiam rerum malarum, cum pertineat ad politicae praecepta prudentiae, omnino circumscribi iis finibus oportere, quos caussa, idest salus publica postulat. Quare si saluti publicae detrimentum afferat et mala civitati maiora pariat, consequens est eam adhiberi non licere, quia in his rerum adiunctis abest ratio boni. Si vero ob singularia reipublicae tempora usuveniat, ut modernis quibusdam libertatibus Ecclesia acquiescat, non quod ipsas per se malit, sed quia permissas esse iudicat expedire, versis in meliora temporibus, adhibitura sane esset libertatem suam, et suadendo, hortando, obsecrando studeret, uti debet, munus efficere sibi assignatum a Deo, videlicet sempiternae hominum saluti consulere. Illud tamen per-

[1] S. Th. p. I. qu. XIX. a. 9. ad 3.

petuo verum est, istam omnium et ad omnia libertatem non esse, quemadmodum pluries diximus, expetendam per se, quia falsum eodem iure esse ac verum, rationi repugnat. Et quod ad *tolerantiam* pertinet, mirum quantum ab aequitate prudentiaque Ecclesiae distant, qui *Liberalismum* profitentur. Etenim permittenda civibus omnium earum rerum, quas diximus, infinitâ licentiâ, omnino modum transiliunt, atque illuc evadunt, ut nihilo plus honestati veritatique tribuere, quam falsitati ac turpitudini videantur. Ecclesiam vero, columnam et firmamentum veritatis, eamdemque incorruptam morum magistram, quia tam dissolutum flagitiosumque *tolerantiae* genus constanter, ut debet, repudiat, idemque adhiberi fas esse negat, criminantur esse a patientia et lenitate alienam; quod cum faciunt, minime sentiunt, se quidem, quod laudis est, in vitio ponere. Sed in tanta ostentatione *tolerantiae*, re persaepe contingit, ut restricti ac tenaces in rem catholicam sint: et qui vulgo libertatem effuse largiuntur, iidem liberam sinere Ecclesiam passim recusant.

Et ut omnis oratio unâ cum consectariis suis capitulatim breviterque, perspicuitatis gratiâ, colligatur, summa est, necessitate fieri, ut totus homo in verissima perpetuaque potestate Dei sit: proinde libertatem hominis, nisi obnoxiam Deo eiusque voluntati subiectam, intelligi minime posse. Quem quidem in Deo principatum aut esse negare, aut ferre nolle, non liberi hominis est, sed abuten-

tis ad perduellionem libertate: proprieque ex animi tali affectione conflatur et efficitur *Liberalismi* capitale vitium. Cuius tamen distinguitur forma multiplex: potest enim voluntas non uno modo, neque uno gradu ex obtemperatione discedere, quae vel Deo, vel iis, qui potestatem divinam participant, debetur.

Profecto imperium summi Dei funditus recusare atque omnem obedientiam prorsus exuere in publicis, vel etiam in privatis domesticisque rebus, sicut maxima libertatis perversitas, ita pessimum *Liberalismi* est genus: omninoque de hoc intelligi debent quae hactenus contra diximus.

Proxima est eorum disciplina, qui utique consentiunt, subesse mundi opifici ac principi Deo oportere, quippe cuius ex numine tota est apta natura: sed iidem leges fidei et morum, quas natura non capiat, ipsa Dei auctoritate traditas, audacter repudiant, vel saltem nihil esse aiunt, cur earum habeatur, praesertim publice in civitate, ratio. Qui pariter quanto in errore versentur, et quam sibimetipsis parum cohaereant, supra vidimus. Et ab hac doctrina, tamquam a capite principioque suo, illa manat perniciosa sententia de rationibus Ecclesiae a republica disparandis: cum contra liqueat, geminas potestates, in munere dissimili et gradu dispari, oportere tamen esse inter se actionum concordia et mutatione officiorum consentientes.

Huic tamquam generi subiecta est opinio duplex. — Plures enim rempublicam volunt ab Ecclesia seiunctam et

penitus et totam, ita ut in omni iure societatis humanae, in institutis, moribus, legibus, reipublicae muneribus, institutione iuventutis, non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant, quam si esset omnino nulla: permissa ad summum singulis civibus facultate, ut privatim, si libeat, dent religioni operam. Contra quos plane vis argumentorum omnium valet, quibus ipsam de distrahendis Ecclesiae reique civilis rationibus sententiam convicimus: hoc praeterea adiuncto, quod est perabsurdum, ut Ecclesiam civis vereatur, civitas contemnat.

Alii, quominus Ecclesia sit, non repugnant, neque enim possent: ei tamen naturam iuraque propria societatis perfectae eripiunt, nec eius esse, contendunt, facere leges, iudicare, ulcisci, sed cohortari dumtaxat, suadere, regere sua sponte et voluntate subiectos. Itaque divinae huiusce societatis naturam opinione adulterant, auctoritatem, magisterium, omnem eius efficientiam extenuant et coangustant, vim simul potestatemque civilis principatus usque eo exaggerantes, ut sicut unam quamvis e consociationibus civium voluntariis, ita Ecclesiam Dei sub imperium ditionemque reipublicae subiungant. — Ad hos plane refellendos argumenta valent Apologetis usitata, nec praetermissa Nobis, nominatim in Epistola encyclica *Immortale Dei,* ex quibus efficitur, divinitus esse constitutum, ut omnia in Ecclesia insint, quae ad naturam ac iura pertineant legitimae, summae, et omnibus partibus perfectae societatis.

Multi denique rei sacrae a re civili distractionem non probant; sed tamen faciendum censent, ut Ecclesia obse-

quatur tempori, et flectat se atque accommodet ad ea, quae in administrandis imperiis hodierna prudentia desiderat. Quorum est honesta sententia, si de quadam intelligatur aequa ratione, quae consistere cum veritate iustitiaque possit: nimirum ut, explorata spe magni alicuius boni, indulgentem Ecclesia sese impertiat, idque temporibus largiatur, quod salva officii sanctitate potest. — Verum secus est de rebus ac doctrinis, quas demutatio morum ac fallax iudicium contra fas invexerint. Nullum tempus vacare religione, veritate, iustitia potest: quas res maximas et sanctissimas cum Deus in tutela Ecclesiae esse iusserit, nihil est tam alienum quam velle, ut ipsa quod vel falsum est vel iniustum dissimulanter ferat, aut in iis quae sunt religioni noxia conniveat.

Itaque ex dictis consequitur, nequaquam licere petere, defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem, veluti iura totidem, quae homini natura dederit. Nam si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari ius esset, nec ulla temperari lege libertas humana posset. — Similiter consequitur, ista genera libertatis posse quidem, si iustae caussae sint, tolerari, definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent. — Ubi vero harum libertatum viget consuetudo, eas ad facultatem recte faciendi cives transferant, quodque sentit de illis Ecclesia, idem ipsi sentiant. Omnis enim libertas legitima putanda, quatenus rerum honestarum maiorem facultatem afferat, praeterea numquam.

Ubi dominatus premat aut impendeat eiusmodi, qui oppressam iniusta vi teneat civitatem, vel carere Ecclesiam cogat libertate debita, fas est aliam quaerere temperationem reipublicae, in qua agere cum libertate concessum sit: tunc enim non illa expetitur immodica et vitiosa libertas, sed sublevatio aliqua, salutis omnium caussâ, quaeritur, et hoc unice agitur ut, ubi rerum malarum licentia tribuitur, ibi potestas honeste faciendi ne impediatur.

Atque etiam malle reipublicae statum populari temperatum genere, non est per se contra officium, salva tamen doctrina catholica de ortu atque administratione publicae potestatis. Ex variis reipublicae generibus, modo sint ad consulendum utilitati civium per se idonea, nullum quidem Ecclesia respuit: singula tamen vult, quod plane idem natura iubet, sine iniuria cuiusquam, maximeque integris Ecclesiae iuribus, esse constituta.

Ad res publicas gerendas accedere, nisi alicubi ob singularem rerum temporumque conditionem aliter caveatur, honestum est: immo vero probat Ecclesia, singulos operam suam in communem afferre fructum, et quantum quisque industriâ potest, tueri, conservare, augere rempublicam.

Neque illud Ecclesia damnat, velle gentem suam nemini servire nec externo, nec domino, si modo fieri, incolumi iustitia, queat. Denique nec eos reprehendit qui efficere volunt, ut civitates suis legibus vivant, civesque quam maxima augendorum commodorum facultate donentur. Civi-

carum sine intemperantia libertatum semper esse Ecclesia fautrix fidelissima consuevit: quod testantur potissimum civitates italicae, scilicet prosperitatem, opes, gloriam nominis municipali iure adeptae, quo tempore salutaris Ecclesiae virtus in omnes reipublicae partes, nemine repugnante, pervaserat.

Haec quidem, Venerabiles Fratres, quae fide simul et ratione duce, pro officio Nostro apostolico tradidimus, fructuosa plurimis futura, vobis maxime Nobiscum adnitentibus, confidimus. — Nos quidem in humilitate cordis Nostri supplices ad Deum oculos tollimus, vehementerque petimus, ut sapientiae consiliique sui lumen largiri hominibus benigne velit, scilicet ut his aucti virtutibus possint in rebus tanti momenti vera cernere, et quod consequens est, convenienter veritati, privatim, publice, omnibus temporibus immotâque constantiâ vivere. — Horum caelestium munerum auspicem et Nostrae benevolentiae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque, cui singuli praeestis, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Iunii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS DEIPARA VIRGO DE MONTE CARMELO OPPIDI
« CUEVAS DE VERO »
IN DIOECESI ALMERIENSI COMPATRONA CAELESTIS DECLARATUR.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Oppidum vulgari nomine Cuevas de Vero appellatum et intra Almeriensis diaeceseos terminos positum inhabitantes iamdiu, uti Nobis renuntiatum est, singulari pietate summaque religione deiparam Virginem De Monte Carmelo colunt, eamdemque modo tum cleri, tum municipum unanimi voto tamquam praecipuam suam apud Deum una cum Sancto Didaco Confessore iam eiusdem municipii patrono, Compatronam elegerunt. Supplices iidem, clerus et municipes suum adierunt Episcopum Almeriensem Venerabilem Fratrem Sanctum Zarate et Martinez rogantes, ut suis interpositis suffragiis, praedicta electio unanimiter ab ipsis peracta suprema Apostolicae Sedis auctoritate firmaretur. Idque quum a Nobis memoratus Venerabilis Frater studiosissime petierit, Nos eius precibus et piis

Cleri atque municipum votis libenti animo obsecundandum censuimus. Itaque Nos peculiari benevolentia omnes et singulos, quibus hae litterae favent, complectentes, unanime cleri et municipum oppidi Cuevas de Vero intra Almeriensis dioecesis fines positi consilium, quo sibi praecipuam cum Sancto Didaco Confessore iampridem Patrono caelestem Compatronam delegerunt, Apostolica auctoritate Nostra sancimus et confirmamus et municipii Cuevas de Vero praecipuam, cum S. Didaco Confessore, Beatissimam Virginem Mariam de Monte Carmelo Compatronam declaramus et constituimus, omniaque privilegia singulosque honores, quae praecipuis locorum Compatronis ex iure competunt, pari auctoritate Nostra hisce litteris impertimus. Praeterea indulgemus, ut festum SS. Deiparae Virginis sub memorato titulo quotannis in eodem municipio ritu duplici primae classis cum octava celebretur et recolatur. Quare decernimus has litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, non obstantibus licet speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXII Iunii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

EPISTOLA

VENERABILIBUS FRATRIBUS
EPISCOPIS HIBERNIAE.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Saepe Nos ex hoc Apostolici muneris fastigio curas et cogitationes ad catholicos cives vestros contulimus: animusque Noster haud semel est publicis consignatus litteris, e quibus, quemadmodum sumus erga Hiberniam affecti, cuivis sine dubitatione appareat. — Praeter ea, quae superioribus annis sacrum Consilium christiano nomini propagando, auctoritate Nostra, de Hibernia providit, satis epistolae loquuntur, quas ad Venerabilem Fratrem Cardinalem Mac-Cabe Archiepiscopum Dublinensem semel atque iterum dedimus: itemque oratio, quam nuperrime ad catholicos e gente vestra non paucos habuimus: a quibus quidem non modo gratulationes et vota pro incolumitate Nostra, verum etiam grati animi significationem accepimus ob perspectam in Hibernos Nostram voluntatem. — His ipsis proximis mensibus, cum templum in

hac alma Urbe exaedificari in honorem Patritii, magni Hibernorum Apostoli, placuerit, consilium quidem maxima animi propensione adiuvimus, reque pro viribus adiuturi sumus.

Nunc vero paterna ista caritas cum in Nobis eadem perseveret, dissimulare non possumus, gravia Nobis ac permolesta accidere, quae novissimo tempore istinc afferuntur. Inopinatam concitationem animorum intelligimus, inde repente coortam, quod ea dimicandi ratione, quam *plan of campaign* et *boycotting* nominant, pluribus usurpari coepta, sacrum Consilium perduellibus Ecclesiae vindicandis uti decrevit non licere. — Atque illud dolendum magis, non paucos numerari, qui populum ad conciones turbulentas vocare insistant: quibus in concionibus inconsideratae iactantur periculosaeque opiniones, nec auctoritati decreti parcitur: quod ipsum longe alio, quam quo revera spectat, commentitiis interpretationibus detorquetur. Immo vero obediendi officium gigni ex illo negant, perinde ac verum propriumque Ecclesiae munus nequaquam sit de honestate et turpitudine actionum humanarum iudicare. — Ista quidem agendi ratio distat plurimum a professione christiani nominis, cuius profecto illae sunt virtutes comites, moderatio, verecundia, potestati legitimae obtemperatio. Nec praeterea decet in caussa bona, videri quodammodo eos homines imitari, qui, quod non iure petunt, tumultuose adipisci contendant. — Et haec quidem eo sunt graviora, quia Nos omnia diligenter circumspeximus, ut liceret rerum vestrarum statum ac po-

pularium querelarum caussas penitus et sine errore cognoscere. Auctores habemus, quibus iure credatur: vosmetipsos coram percontati sumus: praetereaque superiore anno Legatum ad vos misimus virum probatum et gravem, qui veritatem summa cura exquireret, et ad Nos ex fide referret. — Nominatimque de hac providentia populus Hibernus gratias Nobis publice agendas curavit. Num igitur non in eo temeritas inest, quod aiunt, de caussa Nos iudicavisse non satis cognita? praesertim cum res improbaverimus, in quibus improbandis consentiunt aequi viri, quotquot, ista dimicatione vestra non impliciti, pacatiore iudicio de rebus existimant.

Illud pariter non vacat iniuria suspicari, parum Nos Hiberniae caussâ moveri, et quae sit apud vos fortuna populi, non admodum laborare. Contra sic afficit Nos Hibernorum conditio, ut neminem magis: nihilque tam vehementer cupimus, quam ut tranquillitatem adepti prosperitatemque meritam ac debitam, aliquando respirent. Nullo tempore recusavimus, quominus pro melioribus rebus suis contenderent: sed illudne ferendum videatur, aditum in contentione ad maleficia patefieri? Quin immo ob id ipsum, quod, interiectis cupiditatibus politicarumque partium studiis, permixtum fas atque nefas una atque eadem caussa complectitur, Nos quidem constanter studuimus id quod honestum esset ab eo secernere, quod non esset honestum, catholicosque ab omni re deterrere, quam christiana morum disciplina non probaret. — Quamobrem consiliis tempestivis Hibernos monuimus, memi-

nissent professionis catholicae, nihil unquam naturali repugnans honestati, nihil divina lege non concessum susciperent. — Recens igitur decretum non iis debet praeter opinionem accidisse: eo vel magis, quod vosmetipsi, Venerabiles Fratres, anno MDCCCLXXXI, Dublinum congregati, Clerum et populum cavere iussistis, quaecumque essent ordini publico caritative contraria, cuiusmodi illa sunt, nolle quod iure debeatur reddere, nolle reddi: personam, vel bona cuiusquam violare: legibus, vel etiam iis, qui fungantur munere publico, vim opponere: in clandestina foedera coire, et cetera generis eiusdem. Quae quidem praecepta, plena aequitatis maximeque opportuna, laudata Nobis ac probata sunt.

Nihilominus cum populus inveterato cupiditatum fervore transversus raperetur, nec deessent qui novas quotidie faces admoverent, intelleximus, praecepta requiri magis definita, quam quae generatim de iustitia et caritate retinenda antea dederamus. Pati Nos prohibebat officium, tot catholicos homines, quorum Nobis est in primis commissa salus, viam insistere praecipitem et lubricam, quae ad evertendas res potius duceret, quam ad miserias sublevandas. — Rem igitur ex veritate aestimari oportet: animumque illum Nostrum in eo ipso decreto Hibernia recognoscat amantem sui, optataeque prosperitati congruentem, quia caussae quantumvis iustae nihil tam obest, quam vi et iniuriis esse defensam.

Haec quae scribimus ad vos, Venerabiles Fratres, magisterio vestro Hibernia cognoscat. Concordiâ senten-

tiarum et voluntatum, ut oportet, coniunctos, nec vestrâ tantum, sed et Nostrâ auctoritate fultos, multum vos confidimus assequuturos: illud praecipue, ut cupiditatum tenebrae ne diutius tollant iudicium veri, maximeque concitatores populi temere se fecisse poeniteat. Cum multi sint, qui ad deserenda officia vel certissima aucupari caussas videantur, date operam, ut de vi eius decreti nullus relinquatur ambiguitati locus. Intelligant universi, eam omnem rationem, quae ne adhiberetur interdiximus, adhiberi omnino non licere. — Honestas utilitates honeste quaerant, potissimumque, ut christianos decet, incolumi iustitia atque obedientia Sedis Apostolicae: quibus in virtutibus Hibernia quidem omni tempore solatium simul et animi robur invenit.

Interea caelestium munerum auspicem et benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque Hiberno Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxiv Iunii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

COLLEGIO BELGARUM URBANO
CENTUM ITALICARUM LIBELLARUM MILLIA TRIBUUNTUR
UT EX ANNUO HUIUS PECUNIAE REDITU
SEPTEM EIUSDEM NATIONIS ADOLESCENTES GRATIS ALANTUR
ATQUE INSTITUANTUR.

—

LEO PP. XIII.

MOTU PROPRIO.

Cum plura Nobis ad recordationem iucunda ex rebus Belgicis in animo insederint, tum praecipue honestissimum ordinem Cleri meminisse perlibenter solemus. — Belgicos quippe sacerdotes nosse olim e propinquo licuit: spectandaeque eorum disciplinae, sollertiae, caritatis, non tempus Nobis, non locus defuit. Permansere illae quidem in eis virtutes, eaedemque, si Deo placet, permanebunt perennes ac perpetuae, maxime quod omni cura studioque, uti probe scimus, in Clericorum seminaria Episcopi incumbunt, officium nullum praetermittere soliti, ut sacrorum alumni eâ, qua par est, ratione instituantur. — Nihilominus tamen, quoniam strenuorum sacerdotum quo-

tidie est opportunitas maior, vigilantiâque summa provideri oportet, ut continenter eorum numerus iunioribus suppleatur, idcirco hac in re ad providas Episcoporum curas volumus aliquid etiam a Nobis adiumenti accedere; in quo simul appareat benevolentiae Nostrae veteris in Belgas singulare testimonium. — Cui quidem voluntati Nostrae perficiendae optimum patere locum in Collegio Belgarum Urbano censemus, ad cuius initia Nosmetipsi, utique cum legatione Belgica fungeremur, nonnihil contulimus operae. Idque sane auspicato: nam Collegium, de quo loquimur, dignos existimatione hominum fructus edidit quadraginta amplius annis, spemque facit constanter editurum pares. Compertum est enim, viros ex eo prodivisse non paucos virtute doctrinâque auctos, ad sacra scienter exercitatos, quorum in adiuvandis Episcoporum laboribus gerendisque sacerdotalibus muneribus utiliter integreque versata est ac versatur industria. Ex quo confirmatur quam hoc salutare sit, ut sacerdotes aliquot in sinu suo educatos ad catholicas gentes Roma submittat. — His de caussis Collegio supra dicto attribuimus, addicimus argenteos italicos nummos ad *centum millia,* hac lege ut ex annuo huius pecuniae reditu in perpetuum adolescentes *septem,* natione Belgae, qui bonam spem ostendant et animi et ingenii, iidemque ad sacra aspirent, gratis alantur, instituantur. De cooptatione eorum volumus, ut Belgarum Episcopi legant mittantque singuli singulos; Archiepiscopus Mechliniensis duos, quorum alterum sumat ex auditoribus philosophiae sublimioris in

Lyceo magno Lovaniensi, rogata doctorum eiusdem facultatis sententia.

Datum Romae apud S. Petrum die x Iulii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

PETRO LAMBERTO ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI.

MECHLINIAM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Rem tibi hae litterae commemorabunt, de qua ipsa non multo ante, ad Urbem cum venisses, sermonem tecum contulimus: nimirum de philosophiae studiis in magno Lyceo Lovaniensi opportune amplificandis. Utique novimus, satis illic diligenter in philosophia Thomistica elaborari: nec latet Nos, auditores ad eam disciplinam confluxisse hoc ipso anno magnâ frequentiâ. Verumtamen quemadmodum haec Nos bene posita initio delectant, sic reliqua sapienter et accurate perficienda censemus. Neque dubitamus, quin ipse, Venerabilis Frater,. ceterique Belgarum Episcopi Nobiscum plane consentias: siquidem novistis, Thomae Aquinatis doctrinam tum quidem fructus allaturam plene cumulateque perfectos, si largius atque

enucleatius tractetur, cunctis eius partibus disputando, investigando comprehensis: quae partes unum velut corpus efficiunt, sed eas unus omnes assequi complectique in docendo non potest. Itaque utile esse atque expedire magnopere videtur, eius disciplinae augeri magisteria, ex quibus, scilicet, inter se ratione nexis atque ordine colligatis, institutum doctrinae Thomisticae tradendae seorsum existat. Magna haec esset eademque singularis laus, unde accessionem gloriae caperet non mediocrem nobile istud optimorum studiorum Lovaniense domicilium. In quo sane saluberrimarum doctrinarum opes, velut in magno quodam emporio, sibi large paratas reperirent non solum clerici, sed etiam laici, ita ut vis quaedam salutis publicae conservatrix ex Lovaniensi studiorum universitate in civitatem totam manaret. Quamobrem enitere, Venerabilis Frater: cumque Episcopi collegae tui propediem, ut accepimus, Mechliniam conventuri sint, tu quidem, percommoda oblata opportunitate, effice ut hac de re cum eis sedulo agas. Erit hoc quoque in numero vestrorum utiliter optimeque factorum. Interim caelestium munerum auspicem et benevolentiae Nostrae testem tibi, tuisque in episcopatu Collegis, et Clero populoque tuo universo Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xv Iulii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE HONORIS SIGNO IIS TRIBUENDO
QUI FAUSTUM EVENTUM
SACERDOTALIS IUBILAEI SUMMI PONTIFICIS
SINGULARI STUDIO SUNT PROSEQUUTI.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Quod singulari Dei concessu et munere adeo provecti sunt Nostrae aetatis anni, ut potuerit a Nobis quinquagesimus sacerdotii natalis feliciter agi, id profecto Nos non tam Nostra, quam Ecclesiae atque huius Apostolicae Sedis caussa delectat. Faustitas enim eius eventus plene, cumulateque confirmat, quam miro pietatis ardore quantaque voluntatum consensione soleant catholici homines Iesu Christi Vicarium colere et observare, utque difficultates rerum et temporum dirumpere, aut perturbare nequeant officiorum et studiorum vicissitudinem, quae populis christianis cum Romano Pontifice intercedit. Siquidem ex omnibus orbis terrarum partibus, quacumque invectum est catholicum nomen, tot ac tam praeclarae amoris et obsequii significationes sunt nobis exhibitae,

ut institui quodammodo visa sit inter populos voluntatis erga Nos et liberalitatis honesta certatio. De rebus sermo est, quas quidem norunt omnes et quas auctori bonorum omnium Deo Nos referimus acceptas. Ceterum nullum est pietatis testimonium, nullum officii genus, quod christiani homines, ea sibi oblata occasione, Nobis non detulerunt. Revera neminem latet, ut multis in locis festus ille habitus atque auctus sit dies, quo quinquagenariam Sacerdotii Nostri memoriam celebravimus, ut de vita et incolumitate Nostra, tamquam de publico bono, decretae sint gratiarum actiones et gratulationes; ut ad commemorationem auspicati diei non pauca sint christianae plena caritatis opera instituta: videlicet comparata calamitosis adiumenta, aperta perfugia puellis, pueri recepti in scholas, redempta a servitute mancipia. Testis vero est alma Urbs Nostra, quam ingens vis peregrinorum continenter menses huc confluxerit, qui haberent ad Nos aditum et eximia erga Nos animi sensa coram profiteretur. Vidimus sane plurimos genere, sermone, moribus inter se dissimiles non solum ab Europae regionibus, sed vel a dissitis Africae, Asiae, Americae et Oceaniae oris Romam conferre eiusdem omnes fidei et paris observantiae testimonium Pontifici Maximo daturos. Res quidem cum valde per se mirabilis, tum Nobis, qui gentes universas una eademque caritate complectimur, summopere iucunda. Verum sunt alia etiam officia, quorum non excidet Nobis memoria et gratia: ea enim animo tam lubenti, gratoque accepimus, quam obsequenti ac prono

sunt delata. De donis nimirum loquimur, muneribusque omnis generis, quae ex orbe terrarum fere universo catholici homines quasi pietatis tributum, Nobis conferenda curaverunt. Sunt ea quidem et plurima numero et genere varia, propter dissimilitudinem locorum, dissimilem rationem habentia: quorum alia divitias et artificia referunt naturae, alia opificum industriam prudentiamque artis testantur: multa vel materia, vel opere valde sunt conspicua, multa contuentium animos vel ipsa peregrinitate delectant. Huiusmodi vero dona cum collecta sint et comportata ab omnibus orbis partibus, omnemque civium ordinem ita attingant, ut pretiosis Regum procerumque donariis proxima videantur munuscula pauperum, Nos non parvi referre ducimus ad Apostolicae Sedis laudem, ea omnia simul congerere et in Nostris Vaticanis aedibus ad spectandum proponere. Quod quidem bene ac prospere cessisse, institutisque rebus exitum contigisse quem optabamus, et laetamur maxime et gratias Deo, uti par est, plurimas agimus et habemus. Sed libet Nobis animum Nostrum et memorem et gratum profiteri etiam viris iis, qui honorum Nobis habendorum fautores extitere. Etsi enim probe novimus ob faustitatem proximi eventus studium populorum alacrius fuisse, quam ut incitari oporteret, non sumus tamen nescii in instituendis sodalitatibus pia peregrinatione ad Nos adeuntibus, in muneribus perferendis, ordinandis, custodiendis, in omnibus denique amoris pietatisque officiis praestandis eorum virorum solertiam industriamque mirifice excelluisse. Iis

vero se socias et administras addidisse scimus pias feminas, quae in eiusmodi voluntatis erga Nos significationibus impertiendis suas sibi partes deposcere voluerunt. Quibus e rebus placet Nobis, ut apud eos omnes cum eventus memoria, tum benevolentiae Nostrae maneat testimonium. Idcirco volumus iubemus ex argyrometallo nec non ex auro argentoque conflari insigne formam Crucis habens, quod tamen quatuor interiectis liliis efficiatur octogonon. Media in coniunctione numisma parvum extet, cuius in adversa parte nomen et imago Nostra effingatur; in aversa autem exprimatur Pontificale insigne, inscribaturque « Pro Ecclesia et Pontifice ». Extremae vero partes Crucis, quae obversae sunt, ornentur cometa, qui una cum liliis insigne efficit gentis Nostrae: quae autem aversae, signentur « Pridie Kal. Ianuar. 1888 ». Huiusmodi honoris signo, quod e toenia serica purpurei coloris linea alba flavaque ad utramque oram virgata dependeat, merentium pectus sinistro latere decorari concedimus. Omnibus vero et singulis qui tali honore digni habiti fuerint, auspicem caelestium munerum, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVII Iulii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

DECRETUM

DE CATHEDRA EPISCOPALI A CIVITATE HERMOSILLO IN REGIONE MEXICANA IN CIVITATEM URES TRANSFERENDA.

—

Dum quinque ab hinc annis duae Mexicanae provinciae *de Sonora* et *de Sinaloa,* e quibus constabat dioecesis *de Sonora* in duas dioeceses proprii nominis divisae fuerunt, cogente soli conditione, contigit, ut ipsa episcopalis urbs *de Sonora* novae dioecesi *de Sinaloa* fuerit tribuenda. Sua itaque cathedrali sede privatus R. P. D. Ioseph Rico Episcopus *de Sonora* aliam sibi urbem quaerere debuit ubi cathedram poneret; et, probante Summo Pontifice, eam transferre decrevit ad urbem Hermosillo, periculum facturus novae illius commorationis. Verum sive expertus minus propitium valetudini suae illius urbis aerem, sive alia quacumque de causa veritus alio sibi fore migrandum, sic semper distulit quidquid ad episcopalem sedem statuendam requirebatur, ut morte praeventus nihil omnino ad hoc praestitum reliquerit. Novus itaque Episcopus R. P. D. Herculanus de Lopez censens opportuniorem cathedrae futuram urbem Ures, SSm̃um Dominum Nostrum

rogavit, hanc sibi episcopalem sedem constitui; quod sibi eo facilius concessum iri arbitratur, quod nec iniuria quaevis, nec ullum detrimentum inde obventurum sit urbi Hermosillo, ubi nec cathedra posita fuit, nec quidquam omnino actum sive pro constitutione capituli canonicorum, sive erectione seminarii.

SSm̃us, petitionis aequitate perspecta, petita concessit, mandavitque cathedram episcopalem dioeceseos *de Sonora* in civitate Ures vocata esse erigendam, iis omnibus servatis, quae per Apostolicas litteras iam fuerunt iniuncta. In eam vero rem hoc fertur decretum Consistoriale nullo canonico vitio defectuve notandum, quod Archiepiscopo de Guadalaxara exequendum mandatur sive per se, sive per aliam personam ab eo subdelegandam, ea conditione, ut decretorum singulorum, quae hac in re fieri oportebit, authenticum exemplar, intra tres menses a peracta translatione mittatur ad Sanctam Sedem Apostolicam per consilium a rebus Consistorialibus decernendis. Decreti vero huiusce sic lati exemplar in sacro tabulario Consistoriali sedula cura erit servandum.

Datum Romae hac die 21 Iulii anno Domini 1888, Sacri Principatus anno XI.

F. Mercurelli Secretarius

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS DECLARATUR SACRA SEPTEM SANCTORUM
ORDINIS SERVORUM BEATISSIMAE VIRGINIS FUNDATORUM LYPSANA
SUB POTESTATE ET PROTECTIONE ESSE APOSTOLICAE SEDIS.

—

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Singularem omni tempore pia Mater Ecclesia de beatissimorum Caelitum corporibus et exuviis tuendis servandisque curam adhibuit, ac Romani Pontifices Praedecessores Nostri opportunas ad id sanxerunt disciplinas et quandoque, ne sanctorum exuviae distraherentur, illas immediatae Sanctae Sedis potestati subiectas edixere. In templo ad Senarium montem exuviae septem fundatorum ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, quibus nuperrime Caelitum honores solemniter decrevimus, religiosissime asservantur, et ne eorumdem septem sanctorum exuviae novis extrahendis reliquiis imminutionem patiantur, dilecti filii frater Petrus Franciscus Maria Testa summus eiusdem ordinis Prior et frater Andreas Maria Corrado causarum omnium servorum Dei ex ordine supradicto

Postulator, supplicibus Nos rogarunt precibus ut eorumdem septem Caelitum exuvias, Apostolicae sedis auctoritate et patrocinio tegere velimus. Quibus precibus ad Nos a dilecto filio Augustino Caprara sanctae fidei promotore relatis annuendum censuimus. Quare sacra septem sanctorum inclyti ordinis servorum Beatissimae Mariae Virginis fundatorum lypsana quae in Ecclesia ad Senarium montem omni religione custodiuntur, sub Nostra et S. Sedis Apostolicae potestate ac protectione perpetuum in modum manere volumus. Nulli ergo hominum quavis auctoritate insignito, absque expressa Summi Pontificis Romani venia, urnam in qua septem dictorum sanctorum exuviae servantur, aperire et quamlibet illarum partem auferre vel distrahere sub poena excommunicationis latae sententiae Summo Pontifici reservatae liceat, quemadmodum de sacris reliquiis SS. Ambrosii, Augustini et Francisci Salesii doctorum, Antonii Patavini, S. Clarae Falcodunensis et aliorum quamplurium cautum est, super quibus nullam cuiusque loci Ordinarii propriam obtinent iurisdictionem. Propterea decernimus has litteras Nostras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere. In contrarium facientibus licet speciali et individua mentione ac derogatione dignis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXIV Iulii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

EPISTOLA ENCYCLICA

QUA ARMENII AB ECCLESIA SEIUNCTI
AD PRISTINAM COMMUNIONEM REVOCANTUR.

—

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Paterna caritas, qua partes omnes Dominici gregis complectimur, vi naturâque sua est eiusmodi, ut laeta, tristia, quaecumque uspiam in christiana republica eveniunt, intima Nos perpetuâque communicatione sentiamus. Itaque sicut antea magnus ac diuturnus in animo Nostro insederat dolor, quod quidam ex Armenia gente, praesertim in urbe Constantinopoli, sese a fraterno coetu vestro seiunxissent, ita nunc laetitiam capimus singularem ac vehementer optatam, quod dissidium illud, Dei beneficio, auspicato conquieverit. Dum autem restitutam Vobis concordiam pacemque gratulamur, temperare Nobis nequimus, quin Vos hortemur enixe, ut divinae bonitatis tam grande munus custodire sedulo et augere studeatis.

Quo autem hoc consequamini, videlicet idem sapere idemque in iis, quae ad religionem pertinent, sentire, oportet omnes quidem constanter, ut facitis, in obedientia huic Apostolicae Sedi permanere: vos autem, dilecti filii, Patriarchae vestro, aliisque Antistitibus, qui vobis iure legitimo praesunt, fideliter subesse et obtemperare. — Quoniam vero ad hanc ipsam religiosam concordiam labefactandam saepe suboritur occasio cum ex dissensionibus in publicis negotiis, tum propter iurgia de privatis rebus, primas illas a vobis arceat fidelis ea, quae spectatissima in vobis est, observantia et animorum subiectio erga supremum Othomanici imperii Principem, cuius perspecta Nobis est aequitas, studium servandae pacis, et egregia in Nos voluntas luculentis testata indiciis. Iurgia vero ac simultates facile a vobis aberunt, si vestris haeserint defixa mentibus, moribusque expressa fuerint quae beatus Paulus gentium Apostolus tradit de caritate perfecta, quae *patiens* ac *benigna est, non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum* [1]. Porro eximia haec et perfecta animorum consensio aliud vobis praestabit bonum, ut per eam augere, quemadmodum diximus, latiusque provehere possitis restitutae concordiae pacisque fructus; oculos enim ad vos animosque convertet ceterorum qui, licet commune vobiscum genus nomenque gentis habeant, adhuc tamen a vobis Nobisque dissident, neque sacris eius, cui

[1] Corinth. XIII 4-5.

praesumus, ovilis septis includuntur. Ii scilicet concordiae et caritatis vestrae intuentes exempla, facile intelligent, Christi spiritum vigere inter vos, quippe unus Ille suos ita sibi iungere potest, ut unum corpus efficiant. Utinam illi id agnoscant, et ad eam unitatem redire constituant, unde maiores eorum discessere! Quo facto necesse erit eos incredibili voluptate perfundi, quum senserint sese Nobis vobisque iunctos etiam cum ceteris coniungi fidelibus, qui totum diffusi per orbem censentur catholico nomine; adeoque senserint, se in tabernaculis manere mysticae Sion, cui datum est uni ex divinis oraculis, ut ubique terrarum dilatet locum tentorii sui et pelles tabernaculorum suorum extendat.

Ceterum ut optata haec reversio contingat vestrum est potissimum operam dare, Venerabiles Fratres, qui Armeniis dioecesibus praeestis, quibus neque zelum ad cohortandum, neque doctrinam ad persuadendum defore novimus. Quin etiam Nostro nomine et verbis eos, qui dissentiunt, per Vos revocari volumus: non enim pudor est, imo vero maxime decet, parentem ab se digressos diuque expectatos liberos revocare domum, imo occurrere et brachia pandere reduces amplexura. Neque fore putamus, ut voces suasionesque vestrae in irritum cadant. Spem enim Nobis facit optati exitus primum amplissima misericordia Dei in omnes gentes effusa, tum ipsius Armenii populi docilitas et ingenium. Quam pronus ad amplectendam veritatem semel agnitam sit, quam paratus ad regressum, si in devia senserit se deflexisse, multis testatum est monumentis histo-

riae. Gloriantur ii vel ipsi, qui sacra a vobis separatim obeunt, Armeniam gentem Christi fidem edoctam fuisse a Gregorio, viro sanctissimo, cui Illuminatori dictum cognomen est, eumque parentem ac patronum obsequio colunt singulari. Huius memorabile et inter eos iter est ad urbem Romam, ut S. Silvestro Romano Pontifici suam probaret fidem, observantiam profiteretur. Fertur imo exceptus ab eo fuisse summa cum benevolentia et quibusdam facultatibus auctus. Eodem fuisse animo, quo Gregorius fuerat, in Apostolicam Sedem complures ex iis qui posthac Armeniis praefuerunt ecclesiis, compertum est ex eorum epistolis, ex peregrinationibus ad Urbem susceptis, imprimis vero e Synodalibus decretis. Ac sane dignissima memoratu sunt, quae in Sisensi Synodo anno MCCCVII habita Armenii Patres edixere de officio parendi huic Apostolicae Sedi: *Sicuti corporis est capiti obedire, ita debet similiter universalis Ecclesia (quae corpus est Christi) obtemperare ei, qui totius Ecclesiae caput a Christo Domino est constitutus.* Quae confirmata sunt et enucleatius explicata in Adanensi Concilio anno eiusdem saeculi decimo sexto. Gnarum praeterea Vobis est, ut alia quae minoris sunt missa faciamus, quid gestum fuerit in Synodo Florentina. Quo cum Legati Constantini V Patriarchae accessissent, Eugenium IV decessorem Nostrum uti Christi Vicarium venerati, se venisse dixerunt ad caput, ad pastorem, ad fundamentum Ecclesiae, rogantes ut caput condoleret membris, pastor colligeret gregem, fundamentum Eccle-

siam confirmaret [1]. Et symbolum suum ac fidem exhibentes rogabant: *si est defectus, doce.* Tum vero edita a Pontifice conciliaris Constitutio *Exultate Deo,* qua illos docuit quaecumque de doctrina catholica scitu necessaria existimavit. Quam Constitutionem Legati, suo suique Patriarchae totiusque Armeniae gentis nomine, excipere sese amplectique declararunt submisso ac prono ad parendum animo, *profitentes tamquam veri obedientiae filii, nomine quo supra, ipsius Sedis Apostolicae ordinationibus et iussionibus fideliter obtemperare.* Eapropter Azarias, Patriarcha Ciliciae, datis ad Gregorium XIII decessorem Nostrum litteris IV Idus Aprilis anno MDLXXXV, verissime perscripsit: *Ecce invenimus libros maiorum nostrorum de obedientia Catholicorum et Patriarcharum Nostrorum ad Pontificem Romanum, quomodo S. Gregorius Illuminator obediens fuit S. Silvestro Papae.* Hinc in more fuit Armeniae gentis, missos pro re nata ab Apostolica Sede legatos honestissime excipere, eiusque mandata religiose facessere.

Haec equidem plurimum valitura confidimus, ut plures hactenus a Nobis segregati ad coniunctionem expetendam inducant animum: si quibus vero cunctandi haerendive causa fuerit metus, ne minus de se sollicitam experturi sint Apostolicam Sedem, minusve amanter quam vellent excipiantur a Nobis, hos iubete, Venerabiles Fratres, ad ea referre animum quae gesserunt Romani Pon-

[1] Labbaei Conc. Collect., suppl. Tom. v, 210.

tifices decessores Nostri, qui nunquam passi sunt desiderari ab Armeniis paternae caritatis suae argumenta. Hi nimirum peregrinantes illos ad Urbem, vel ad se confugientes benigne semper complexi sunt, imo hospitales domos iis patere voluerunt. Gregorius XIII, ut scitum est, destinaverat animo ephebeum condere Armeniis iuvenibus recte instituendis: quod tamen, morte interceptus cum ille nequivisset efficere, ex parte praestitit Urbanus VIII, quippe qui cum ceteris exteris alumnis Armenios quoque recepit in collegium amplissimum ab se excitatum ad propagandam fidem. Nos autem, tempore licet iniquo, initum a Gregorio XIII consilium plenius exequi, Deo dante, potuimus, aedesque satis amplas ad S. Nicolai Tolentinatis Armeniis alumnis addiximus, eorumque collegium rite constituimus. Quae omnia sic acta sunt, ut Armeniae liturgiae et linguae, quam vetustas, elegantia et insignium commendat scriptorum copia, debitus haberetur honor; imo iamdiu cautum, ut ex Episcopis ritu vestro Romae perpetuo moraretur unus, cuius esset initiare sacris quotquot ex iis alumnis Dominus in sortem suam vocasset. Ad haec in Urbaniano collegio schola iampridem Armeniae linguae tradendae instituta fuit, et Pius IX Decessor Noster curavit, ut in gymnasio Pontificii Seminarii Romani praeceptor esset, a quo nostrates sermonem, litteras, historiam Armeniae gentis addiscerent. Neque huius Urbis finibus se continuit Romanorum Pontificum de Armeniis sollicitudo; namque iis nihil fuit antiquius, quam ut Ecclesiam vestram difficultatibus, quibus

esset implicita, eximerent, damna sarcirent eidem iniquitate temporum illata, eiusque commodis prospicerent. Obscurum est nemini Benedicti XIV studium ut sarta tectaque servaretur liturgia vestra non secus ac aliarum orientalium Ecclesiarum, atque ut catholicorum Armeniae Patriarcharum successio in Sisensi sede restitueretur. Exploratae vobis curae sunt Leonis XII et Pii VIII eo conversae, ut in urbe imperii Othomanici principe Armenii praefectum suae gentis haberent in civilibus negotiis, ad instar aliarum nationum, quae in eadem ditione sitae sunt. Recens demum memoria est rerum a Gregorio XVI et Pio IX gestarum, ut episcopales sedes in vestra regione augerentur, atque ut Armenius Antistes Constantinopoli esset honore et dignitate praestans. Quod primo factum est Archiepiscopali et Primatiali sede ibidem constituta, deinde unione decreta cum Patriarchatu Ciliciae; ea lege ut Patriarchae in ea urbe domicilium esset, quae caput imperii est. Neve locorum distantia interiecta arctam coniunctionem extenuaret, quae Armenios fideles Romanae Ecclesiae devincit, providenter constitutum est, ut Delegatus Apostolicus in eadem urbe esset, qui Romani Pontificis gereret vices. Quae Nobis de gente vestra cura fuerit, vos ipsi testes estis, Nosque vicissim testes sumus voluntatis erga Nos vestrae, cuius significationem non semel accepimus.

Quare cum istinc populi ingenium, mos maiorum, omnis anteactae aetatis memoria Armenios a vobis seiunctos ad hanc veritatis arcem validius trahat quam ut longiori possint distineri mora; hinc vero Apostolica Sedes semper

contenderit coniunctissimam sibi habere nationem vestram, ac sicubi defecisset, ad pristinam communionem revocare; sane vobis, Venerabiles Fratres, praegravia suppetunt argumenta ad suadendum, et Nobis ad bene sperandum, ut vetus coniunctio plenissime restituatur. Quod utique genti universae bene vertet non modo ad aeternam animarum salutem, sed et ad eam, quae pie optari potest, in terris prosperitatem et decus. Testatur enim historia, inter sacros Armeniae Antistites eos praefulsisse ceteris, uti splendida sidera, qui Romanae Ecclesiae adhaeserunt arctius, maximamque fuisse iis saeculis nationis gloriam, quibus in ea catholica religio latissime floruit.

Uti haec iuxta vota et ex sententia cedant unus praestare potest rerum omnium moderator Deus qui *quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit* [1]. Ad Eum supplices Nobiscum adhibete preces, Venerabiles Fratres, ac dilecti filii, ut flexanima Eius gratia moti quotquot e gente vestra per baptismum ingressi in christianae vitae societatem seiunctum a Nobis coetum habent, impleant ad Nos reversi gaudium Nostrum, *idem* sapientes, *eamdem caritatem habentes*, *unanimes*, *idipsum sentientes* [2]. Contendite ut suffragatrix adsit apud gratiae thronum *gloriosa, benedicta, sancta, semper Virgo Deipara Maria, Christi mater* et offerat *preces nostras Filio suo et Deo nostro* [3]. Deprecator cum ea adhibeatur martyr illustris

[1] S. Ambros. in Luc. c. IV.

[2] Philip. II. 2.

[3] Antiph. Liturg. Arm.

Gregorius Illuminator, ut opus ab se laboribus invictaque cruciatuum perpessione inchoatum, divinae minister opis, perficiat solidetque. Denique et illud, Nostra praeeunte prece, deposcite ut Armeniorum docilitas reditusque ad unitatem catholicam exemplo et incitamento sit ceteris qui Christum quidem colunt, sed a Romana Ecclesia secesserunt, ut illuc redeant unde digressi sunt, fiatque unum ovile et unus Pastor.

Haec dum votis et spe Nostra prosequimur, Apostolicam benedictionem, divinae benignitatis auspicem, Vobis, Venerabiles Fratres, vobisque universis, dilecti filii, effusa caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv Iulii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

EUGENIO CAROLO EPISCOPO TRIDENTINO.

TRIDENTUM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Amoris officiique plenam accepimus epistolam tuam una cum litteris ab universo Clero dioecesis Tridentinae ad te datis, quibus ipsi uno propemodum ore testati sunt, sese non solum intimo mentis obsequio, sed etiam cum quodam grati animi sensu libentissimeque una tecum excipere amplectique Apostolicae Sedis iudicium de sententiis nonnullis, ex voluminibus Antonii Rosmini excerptis.

Profecto tanta voluntatum concordia, tamque luculenta pietatis et obsequii significatio maiorem in modum Nos delectat; et clero isti ultro gratulamur, quod praeclarum ediderit exemplum prompti atque alacris animi, quo par catholicae Ecclesiae filios, eosque praesertim qui sacris ordinibus accensi ceteris esse disciplinae debent, Sedi Apostolicae constanter obtemperare.

Eas igitur doctrinas quas eadem Apostolica Sedes no-

tavit, summa cum approbatione perspicimus istic etiam, ubi multum valuerant, communi iam opinione esse iudicioque damnatas: nec sane dubitamus quin maxima ac perpetua adhibeatur vigilantia ad earum reditum, praesertim in institutione iuventutis, prohibendum. Qua in re plane compertum est, Nos velle omnino ut maiorum disciplinarum studia ad eam rationem diligenter fideliterque exigantur, quam saepius Nos vehementerque commendavimus, quippe quae est ad tutelam fidei catholicae, ad refutandos nostrorum temporum errores, atque ad omnium scientiarum incrementum aptissima. Coeptis his Nostris propitius adfuit Deus; magnoque cum animi Nostri solatio videmus, sapientiam Thomisticam, non in Italia solum sed late etiam apud exteras gentes, maximo cum fructu in pristinum decus revocari coeptam. Eamdemque non minus apud vos omnes in honore futuram, nec minores edituram fructus Dei beneficio, confidimus. Cupimus autem ut Clero tuo universo significes placuisse maxime Nobis obsequium auctoritati Nostrae et huic Apostolicae Sedi praestitum, placuisse eorum mentem egregiamque voluntatem. Caelestium vero munerum auspicem, paternaeque Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, Clero populoque tuo peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII Iulii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS ARCHIABBATI BEURONIENSIS
CONGREGATIONIS ORDINIS S. BENEDICTI CAPPAE MAGNAE
USUS CONCEDITUR.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Quum probe Nobis cognitum perspectumque sit, quam eximia apud omnes opinione in Imperio Austro-Hungarico et in Germania floreat Congregatio Ordinis S. Benedicti, et quam egregie de religione et Ecclesia, nominatim in civitatibus Pragensi, Beuroniensi et Secoviensi meruerit et in praesentiarum mereat, Nos annuendum censuimus precibus, quae Nobis admotae sunt, ut dilecto filio Mauro Volter qui amplissimo munere Archiabbatis dictae Congregationis Beuroniensis integre fungitur, suisque in posterum successoribus concedere velimus Cappae Magnae privilegium, quo iam ex Apostolicae Sedis venia Solesmesii Archiabbas in Gallia fruitur. Quapropter Nos moti etiam suffragiis catholicorum Antistitum earum regionum, qui singulari commendatione eamdem Congregationem pro-

sequuti sunt, omnes et singulos quibus Nostrae hae litterae favent peculiari benevolentia complectentes et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine volumus, atque decernimus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus Archiabbas Beuroniensis Congregationis Ordinis S. Benedicti pro tempore existens Cappae Magnae, servatis servandis, usu fruatur. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et, quatenus opus sit, dictae Congregationis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXXI Iulii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS ECCLESIA EPISCOPALIS HOBARTONIENSIS AD METROPOLITANAM DIGNITATEM EVEHITUR.

VENERABILI FRATRI
DANIELI MURPHY EPISCOPO HOBARTONIENSI.

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Divinae providentiae consilio in Principis Apostolorum Cathedra collocati, Ecclesiarum omnium regimini praesidentes, quandoque ex suprema potestate Nostra aliquam ex dictis Ecclesiis maiore augemus dignitate si id religionis bonum et fidelium commoditas postulare videatur. Iamvero dilectus filius Noster Patritius Franciscus S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo S. Susannae, ex dispensatione Apostolica Archiepiscopus Sydneyensis exposuit Nobis maxime e religione fore, ut Hobartoniensis Ecclesia Episcopalis ad Metropolitanam dignitatem evehatur. Nos re mature perpensa, atque religionis ac fidelis populi in-

specta utilitate Episcopalem Sedem Hobartoniensem, Apostolica auctoritate Nostra, harum litterarum vi in Metropolitanam erigimus atque instituimus, eique omnia et singula iura, honores et praeeminentias, quae ex iure Metropolitanis Ecclesiis competunt, deferimus et elargimur. Ad sedem hanc Metropolitanam per praesentes litteras Nostras constitutam, atque huius dignitatis honoribus et iuribus auctam, te, Venerabilis Frater, qui hactenus eamdem Ecclesiam gubernasti, cum omnibus iuribus et honoribus, praerogativis ac praeeminentiis Archiepiscoporum propriis promovemus. Nobis vero et Sedi Apostolicae servavimus facultatem dividendi in aliud tempus pro Nostro, eiusdemque Sanctae Sedis arbitrio, idem territorium pro suffraganea sede erigenda. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non ipsius Hobartoniensis Ecclesiae etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die III Augusti MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

LITTERAE APOSTOLICAE

DE INSIGNIBUS EQUESTRIS ORDINIS S. SEPULCHRI FEMINIS PIETATE STUDIOQUE IN REM CATHOLICAM PRAESTANTIBUS CONFERENDIS.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Venerabilis Frater Vincentius Hierosolymitanae Ecclesiae Patriarcha Latinus renuntiavit Nobis, decessorem suum, auctoritate nutuque fel: rec: Pii IX Pont. Maximi, nonnullis abhinc annis, feminis, quae ceteris pietate, liberalitate et studio in rem catholicam praestitissent, aeque ac viris, Equestris Ordinis dignitatem et insignia deferre, instituisse. Quod quidem institutum cum uberes edat fructus et non leve sit ad virtutem incitamentum, idem Venerabilis Frater supplices Nobis preces admovet, ut quae in decernendis mulieribus Ordinis S. Sepulchri insignibus supra dictus Decessor Noster scivit, vel probavit, ea omnia a Nobis pari auctoritate rata sint et confirmata. Nos huiusmodi precibus benigne annuentes et omnes et singulos quibus Nostrae hae litterae favent peculiari benevolentia complecti volentes, nec non a quibusvis excommu-

nicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, autoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi, perpetuum in modum concedimus, ut mulieribus bene de re catholica meritis, memorati Ordinis S. Sepulchri insignia licite conferri queant. Praecipimus autem ut mulieres iisdem insignibus honoris auctae Matronae S. Sepulcri vocentur, utque quoad tres Ordinis illius classes, iusque eligendi ipsas Matronas, leges et scita serventur, quae continentur Apostolicis litteris simili forma die XXIV Ianuarii anno MDCCCLXVIII datis. Mandamus tamen ut S. Sepulchri Ordinis Matronae in quamlibet eiusdem ordinis classem adscitae, insigne proprium ordinis et classis sinistro tantum pectoris latere gestare licite possint et valeant. Haec volumus et statuimus non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit Cancellariae Nostrae regula de iure quaesito non tollendo, nec non dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die III Augusti MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

DECRETUM

DE AMPLIORI CULTU LITURGICO BEATAE MARIAE VIRGINI E ROSARIO EXHIBENDO.

—

Diuturnis Ecclesiae acerbitatibus ac temporum quotidie invalescente difficultate commotus Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII cunctos a sui Pontificatus exordiis ubique christianos excitare non destitit ad Deiparam Virginem Mariam sacri Rosarii ritu colendam atque implorandam. Inter cetera, quae praeclare edocuit in sua prima de Rosario Encyclica (1 Septembr. 1883), ait: *Divini necessitas auxilii haud sane est hodie minor, quam cum magnus Dominicus, ad publica sananda vulnera, Marialis Rosarii usum invexit. Ille vero caelesti pervidit lumine, aetatis suae malis remedium nullum praesentius futurum, quam si homines ad Christum, qui via, veritas et vita est, salutis per Eum nobis partae crebra commentatione rediissent; et Virginem illam, cui datum est cunctas haereses interimere, deprecatricem apud Deum adhibuissent. Idcirco sacri Rosarii formulam ita composuit, ut et salutis nostrae mysteria ordine recolerentur, et huic meditandi officio mysticum innecteretur sertum ex angelica salutatione contextum, interiecta oratione*

ad Deum et Patrem Domini Nostri Iesu Christi. Nos igitur non absimili malo idem quaerentes remedium, non dubitamus quin eadem haec a beatissimo viro, tanto cum orbis catholici emolumento, inducta precatio, momenti plurimum habitura sit ad levandas nostrorum quoque temporum calamitates. Pontificiae voluntati permagna animorum alacritate et concordia ubique locorum obtemperatum est, *ut luculenter apparuerit quantus religionis et pietatis ardor extet in populo christiano, et quantam in caelesti Mariae Virginis patrocinio spem universi reponant* (Encyclica 30 Augusti 1884). Huiusmodi porro spei veluti praeclarus fructus, iure nunc accenseri debet memorabile factum quod hoc anno, sacerdotii eiusdem Sanctissimi Domini Nostri quinquagesimo, Deus ostendit: mirandum profecto publicae religionis et fidei exemplum, pulcherrimum honestissimumque pietatis certamen in toto christiano orbe inter omnigenas laetitiae significationes exhibitum. Omnes hominum ordines, vel ex dissitis terrarum partibus, gestierunt prosequi Pontificem Summum, beati Petri successorem, omni genere officii: legationibus, litteris, peregrinationibus etiam longinquis ultro susceptis, oblatisque ingenti numero et effusa magnificentia muneribus, de quibus verissime dictum est, materiam et opus propensione superari voluntatis. *Qua* scilicet *in re admirabiliter fulget Dei benignitas et virtus, qui in magnis Ecclesiae laboribus vires eius confirmat ac fulcit: qui pro nomine suo certantibus solatia tribuit: qui providentiae suae consilio ex malis ipsis uberem bonorum messem educit: fulget item Ecclesiae gloria, quae originis*

vitaeque suae vim divinam ostendit, ac divinum quo regitur vivitque, spiritum: quo fit, ut fidelium mentes et voluntates uno eodemque vinculo invicem, itemque cum supremo Ecclesiae Pastore iungantur (Allocut. Consistor. 25 Novembr. 1887).

Iamvero id perpendentes catholicorum gentes, dum inferorum portae quotidie audaciores fiunt in bello adversus Ecclesiam urgendo, probe sentiunt quantopere oporteat in potentissimam Dei Matrem augere fervorem, augere fiduciam, ut per Rosarii preces exorata, nomini Christiano et Apostolicae Cathedrae propitia succurrat: memores velle Deum donorum suorum continuationem atque implementum *non solum bonitatis suae, sed etiam perseverantiae nostrae esse fructum* (Breve Apost. 24 Decembr. 1883).

Quapropter ad gratias agendas pro acceptis beneficiis, et pro concedendis enixius deprecandum, Beatissimus Pater, quae superioribus annis per suas Encyclicas et per sacrorum rituum Congregationis decreta (20 Augusti 1885 – 26 Augusti 1886 – 11 Septembris 1887) de salutaris sacri Rosarii ritu, praesertim toto mense Octobri celebrando, statuit et hortatus est; eadem omnia hoc vertente anno fieri mandat ac vehementer hortatur. Et quoniam plura de ampliori cultu liturgico magnae Virgini sub titulo Rosarii exhibendo iam decrevit, novum addere adhuc volens incrementum, sacrum festum eiusdem Rosarii solemnitatis, Dominicae primae Octobris adsignatum, *Officio proprio cum Missa* decoravit, illudque ab utroque Clero in posterum recitari praecepit, iuxta schema quod, a se

recognitum et probatum, per eamdem sacrorum rituum Congregationem hac ipsa die edi mandavit.

Nonis Augusti, in festo Beatae Mariae Virginis ad Nives anno 1888.

D. Cardinalis BIANCHI S. R. C. Praefectus

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. *Secretarius*

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS VICARIATUS APOSTOLICUS MALACENSIS IN DIOECESIM ERIGITUR.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

In Indo-Sinensibus Malacensis peninsulae regionibus Vicariatus Apostolicus curis et laboribus alumnorum seminarii Parisiensis, pro sacris ad exteras gentes expeditionibus instituti, pluribus abhinc annis commendatus et concreditus uberes salubresque adeo percepit fructus, ut maxime in rei catholicae incrementum et decus fore videatur, eumdem Vicariatum in proprie dictam erigi dioecesim. Nos ex supremi Apostolatus Nostri debito, quum nihil magis urgeat, quam maior Dei gloria ac Dominici gregis longe dissiti utilitas et incolumitas, hoc decernendum censuimus. Quare hisce litteris, Apostolica auctoritate supradictum Vicariatum Malacensem in regionibus Indo-Sinicis, una cum iisdem suis confiniis in episcopalem sedem cum omnibus iuribus, honoribus et oneribus per-

petuum in modum erigimus et constituimus. Huius autem novae dioecesis Malacensis Episcopo facultatem residendi in civitate Singapor, intra eiusdem dioecesis terminos facimus atque impertimus. Decernimus propterea has litteras Nostras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus licet speciali, atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die x Augusti MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

LITTERAE APOSTOLICAE

DE CAPITULO INSTITUENDO IN METROPOLITANA ECCLESIA CARTHAGINIENSI.

—

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

De constitutione Capitulorum in Cathedralibus Ecclesiis ex debito ministerii Nostri solliciti, ut et divinus cultus in iisdem augeatur utque sacrae functiones splendidiore ratione ibidem celebratae christiani populi pietatem vel magis foveant atque excitent, quae in hunc finem facere in Domino noverimus, suprema potestate Nostra concedere ac decernere solemus. Renuntiatum est Nobis dilectum filium Nostrum Carolum Martialem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Lavigerie ex Apostolica dispensatione Archiepiscopum Carthaginiensem in Metropolitana Ecclesia sua Capituli institutionem, nonnullis propositis conditionibus, flagitare. Peculiaribus temporum et locorum accurate diligenterque consideratis ac perpensis adiunctis, Nos eiusdem Cardinalis Archiepiscopi optime de istius Ecclesiae dignitate meriti votis obsecundantes, Metropoli-

tanum Capitulum Carthaginiense Apostolica auctoritate Nostra erigimus atque instituimus. Opportunas autem eidem Cardinali Archiepiscopo delegamus facultates condendi disciplinas et leges ac praefiniendi onera huius Capituli. Quoniam vero in praebendarum canonicalium fundationem ac dotationem concurrunt sacerdotes, qui certam pecuniae vim ad institutionem cuiusque canonicatus in praefata Ecclesia Metropolitana persolvunt, Nos grati animi ergo eosdem titulo canonicorum honestamus, eisque usum talaris vestis violacei coloris linei amiculi, seu uti dicunt roccheti, itemque pallii, seu cappae sericae violacei pariter coloris et facultatem gestandi supra pallium Crucem encausto inlitam, iuxta schema ab eodem Cardinale Archiepiscopo exhibitum, concedimus et impertimur. Iisdemque titulo Canonicorum ac supradictis honoris insignibus exornatis ornamentariorum sacrarii domus Pontificalis Cappellanorum privilegia ex Nostris die XXVIII mensis Martii anno MDCCCLXXXVI datis litteris deferimus. Eorumdem Canonicorum, quos residentiae onere, suprema auctoritate Nostra, solvimus et omnino solutos declaramus, vices et chorale ministerium, vita eorum durante, in Metropolitano templo Carthaginiensi gerent et exsolvent Missionarii Algeriani. Demortuis dein Canonicis titularibus Capitulum constabit sodalibus e praefatorum societate missionariorum, iuxta initam inter eumdem Cardinalem Archiepiscopum et vicarium Generalem eiusdem societatis conventionem. Metropolitani Capituli ita compositi et constituti canonicis regularibus regimen et iura dioe-

cesani seminarii incumbet et ex redditibus, qui summam mille quingentarum libellarum pro singulis praebendis canonicalibus attingunt, octingentae libellae quotannis in exhibitionem sustentationemque cuiusque canonici regularis et septingentae in tuitionem et alimentum unius ex alumnis seminarii erogabuntur. Canonicis porro regularibus, quum Archiepiscopo pontificalia celebrante assideant, vel etiam secularibus supradictis, si forte adfuerint, facultatem gestandi damascenam infulam, seu mitram albi coloris largimur, et de caetero sacras pro suo quisque gradu induet vestes. Nullum huic Capitulo ius erit eligendi vicarium capitularem; quod enim ad electionem administratoris dioecesis sede vacante, firmas, efficaces et in suo robore manere volumus Apostolicas Benedicti XIV Praedecessoris Nostri litteras, quarum initium « Ex sublimi » et « Quam ex sublimi ». Haec concedimus atque indulgemus, volumus ac decernimus, non obstantibus quatenus opus sit, Benedicti XIV super divisione materiarum, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non ceteris omnibus licet speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XIV Augusti MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

EPISTOLA

VENERABILIBUS FRATRIBUS
FRANCISCO DE PAULA ARCHIEPISCOPO PRAGENSI
ET EPISCOPO REGINO-GRADICENSI, LITOMERICENSI ET BUDVICENSI.
PRAGAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Laetati admodum sumus ex vestris ad Nos litteris superiore mense datis: fieri quippe non poterat ut non maiorem in modum iucunda Nobis accideret illa tam eximia amoris gratique animi vestri significatio. Nos quidem si quid Collegii Bohemorum caussa fecimus, alacres ac perlibentes fecimus, propterea quod cernimus animo utilitates, quas ex ea sacrae institutionis palaestra vestrae sunt dioeceses, Deo bene iuvante, percepturae. Quae clericorum institutio cum tanti sit quanti esse intelligitis, profecto quodcumque ad eius incrementa pertinere cognovimus, id Nos perseveranti studio curabimus. Nec dubitamus, spectatam diligentiam operamque vestram, quemad-

modum nullis aliis in rebus deest, ita in hac, de qua loquimur, nullo tempore defuturam. — Interim vero propitium vobis singulis, et assiduitati industriaeque vestrae episcopali Deum adprecamur: atque in auspicium divinorum munerum praecipuaeque Nostrae benevolentiae testimonium, Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, universoque Clero et populo, cui praeestis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII Augusti MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

ALOISIO TOSTI O. S. B.

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Haud sine caussa Nos, historicarum disciplinarum studiis provehendis magnopere intenti, S. Benedicti alumnis curam commisimus primo in lucem edendi, opportunis additis commentariis, Regestum Clementis V fel. rec. Decessoris Nostri. Enimvero perspecta Nobis erat tum singularis vestra in perquirendis atque illustrandis vetustatis monumentis solertia ac peritia, tum ardor animi eximius in vindicando ab inimicorum hominum calumniis Romanae Ecclesiae honore, et memoria Pontificum maximorum.— Vos equidem expectationi Nostrae plene luculenteque respondistis, septem editis voluminibus, diligentia curaque summa adornatis, quorum postremum ad Nos, una cum epistola tua amoris et officii plena, nuper perlatum est.— Cupimus itaque ut peculiare aliquod quum meritae testi-

monium laudis tum paternae Nostrae erga vos benevolentiae pignus hisce in litteris habeatis; simulque volumus prompto vos animo esse atque alacri ad novos suscipiendos eius generis labores, quos quidem Nos ipsi industriae fideique vestrae committendos iudicaverimus. Interim vero uberem vobis caelestium munerum copiam enixe a Deo adprecamur, eorumque auspicem Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuisque sodalibus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI Augusti MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

DECRETUM

DE PAROECIA CUI NOMEN « AUTLAN » AB ARCHIDIOECESI DE GUADALAXARA IN REGIONE MEXICANA EXIMENDA ET DIOECESI COLIMENSI UNIENDA.

—

Romano Pontifici in universi catholici gregis salutem Antistite supremo constituto illud inter cetera onus incumbit, uti singulis dioecesibus eos circumscribat limites, per quos nullis obnoxia impedimentis facilis erga fideles porrigatur Episcoporum cura; si autem vicissitudines temporum casu rerum mutationem attulerint, quae difficultates invexerit antea ignotas, SSmus Pontifex sua Apostolica auctoritate occurrit, incommoda inde oborta submovendo, praesertim cum per hoc non solum expeditior fiat fidelium ad proprium Episcopum accessus, sed etiam huic aliquod temporale subsidium, licet leve, sit inde obventurum.

Cum autem delatum sit ad Apostolicam Sedem, quod si ab archidioecesi de Guadalaxara (in regione Mexicana) eximatur paroecia Autlan, et finitimae dioecesi Colimensi incorporetur, sicuti facilior fidelibus fiet aditus ad suum Pastorem, sic istius conditio melior inde sit evasura,

SSm̃us dioeceseos Colimensis bono prospecturus, Antistitis utriusque consensu accepto, scilicet Archiepiscopi de Guadalaxara, R. P. D. Petri Loza, et Antistitis Colimensis, R. P. D. Francisci Melitone Vargas, aliorumque interesse habentium, vel quocumque modo habere praesumentium consensum supplendo, animum benignus in rem inclinavit, et motu veluti proprio in bonum dioeceseos Colimensis petita in decretum converti mandavit modo et legibus quae sequuntur:

I.

Paroecia, cui nomen Autlan in regione Mexicana, in praesentiarum archidioecesi de Guadalaxara subiecta ab ordinaria huiusmodi Antistitis iurisdictione eximatur ab eaque dismembretur.

II.

Utriusque sexus fideles, demptis si qui sunt, qui singulari fruantur exemptione, cum suis bonis, titulis adnexisque rebus dioecesi Colimensi incorporentur, eique in perpetuum subiiciantur, regendi ac gubernandi ab eius Antistite ordinario, cui in posterum prono animo parebunt.

III.

Iisdem iuribus, praerogativis, privilegiis novi isti fideles dioecesi Colimensi addicti gaudeant atque fruantur,

quibus ceteri in eadem dioecesi iure ordinario gaudent atque fruuntur.

IV.

Monumenta omnia et documenta, quae iungendam paroeciam respiciunt, ac in tabulario Archiepiscopali de Guadalaxara asservantur, inde extracta, ad tabularium dioecesis Colimensis quamprimum transferantur ibi pro opportunitate custodienda.

V.

Quod si Colimensis dioeceseos bonum aut publica utilitas aliquam postulent circumscriptionem aut detractionem, nulla etiam adiecta territoriali compensatione, id perficere liberum erit Apostolicae Sedi.

VI.

Quoad res, iura et personas ecclesiasticas, quarum nulla expressa mentio in praesenti facta est, firma manebunt omnia: si quae vero supervenerit difficultas, ea iuxta canonicas leges deferenda erit ad Apostolicam Sedem, cuius erit eam diluere, aut componere.

VII.

Hae Consistoriales litterae perinde habeantur valiturae ac si litterae Apostolicae formales et sollemnes sive in forma Brevis sive sub plumbo expeditae fuissent.

VIII.

Contraria quaecque nihil obstent, ac nemini liceat hoc Sacrae Congregationis Consistorialis decretum vel subreptionis vel obreptionis aliove quolibet vitio notare.

IX.

Harum litterarum mandata exequatur R. P. D. Petrus Loza Archiepiscopus de Guadalaxara vel per se vel per subdelegandam personam ecclesiastica dignitate fulgentem, quae, ut ipse, omni appellatione remota, possit declarare, decernere, constituere, quae necessaria videantur ad rem perficiendam.

X.

Decretorum singulorum, quae hac in re fieri oporteat, authenticum exemplar intra tres menses a confecta dismembratione ad Consilium mittatur a rebus Cansistorialibus decernendis.

XI.

Huiusce vero decreti sic lati exemplum in sacro item tabulario Consistoriali sedula cura erit servandum.

Datum Romae hac die 4 Septembris anno Domini 1888, Sacri Principatus anno XI.

F. Mercurelli Secretarius

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ECCLESIASTICA IURISDICTIONE IN TICINENSI REPUBLICA DEFINIENDA.

LEO EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ad universam catholicam Ecclesiam Romanus Pontifex, quem costituit Dominus super familiam suam, ex debito Apostolici ministerii paternam sollicitudinem sedulo dirigens, interdum nonnulla disponit, quae commissarum sibi animarum aptiori directioni, earumque spirituali bono ac utilitati in Domino existimat salubrius profutura.

Sane ardua et multis difficultatibus implexa spiritualium rerum ordinatio in Helvetico Ticini pago, quam iamdiu Apostolica Sedes urgebat, non minus in religionis provectum, et utilitatem animarum, quam ut per regularis ecclesiastici regiminis constitutionem haec perennis fieret, et solida, id divinae providentiae Nostris curis concedere placuit per solemnem conventionem habitam die vigesima octava mensis Iunii proxime elapsi inter Legatum Apostolicae Sedis et Legatos supremi Consilii foederalis Hel-

vetici et deinde solemniter ratam habitam et subscriptam die quarta insequentis mensis Iulii ab Apostolico eiusdem Sanctae Sedis Legato Venerabili Fratre Nostro Dominico Ferrata Archiepiscopo titulari Thessalonicensi et Nuntio Apostolico Bruxellensi, simulque a dilectis filiis Vice-Praeside Consilii foederalis Helvetici eiusque Cancellario.

Quoniam vero propitius difficilis huius compositionis exitus magna ex parte tribuendus est amicae illi et pronae animi comparationi, qua supremum Helveticum Consilium ad rem agendam accessit, id ultro paternum Nostrum amorem studiumque erga Helveticos magis magisque succendit. Et nova praeterea iucunditate conspersit eventum religiosa pietas dilectorum pariter filiorum Metropolitani Mediolanensis templi canonicorum, qui spiritualem utilitatem Ticinensis populi praeferentes propriis honorificis iuribus, submoturi quamcumque a re perficienda dubitationem, non modo dum agi coepit de nova Ticini dioecesi constituenda, nihil protulerunt de iure, quo ab aliquot saeculis pacifice fruebantur, uti Comites trium Ticini Vallium, providendi quinquaginta quatuor ex illis paroeciis, et conferendi alia quoque ecclesiastica beneficia, sed imo postea et verbis et scriptis omnia haec cura sua diserte abdicarunt.

Omni itaque difficultate remota, cunctis quae in huiusmodi negotiis sunt animadvertenda rite perpensis, maiori Ticinensis pagi animarum utilitati ac commodo quantum in Nobis est providere volentes, nec non omnes et singulos, quibus praesentes Nostrae litterae favent. a quibus-

vis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ad rem iuxta conventa perficiendam motuproprio et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine haec quae sequuntur decernimus.

Ac primo quidem parochialem ecclesiam et collegialem Luganensem a Sancto Laurentio nuncupatam Apostolica auctoritate in cathedralem perpetuo erigimus, atque uti talem declaramus, ita ut ipsa ex nunc deinceps cathedralis nuncupetur, atque omnibus propterea et singulis fruatur honoribus, praerogativis, iuribus, privilegiis, gratiis, indultis, ceterisque quibus ex iure communi gaudet Basileensis Ecclesia. In praedicta igitur Sancti Laurentii Ecclesia constituimus et perpetuo fundamus sedem et cathedram episcopales pro uno Antistite episcopali caractere insignito, qui, utpote Administrator Apostolicus Sanctae Sedis ei immediate subiectus Ticinensem pagum moderabitur universum, iis tantum demptis, si qui sint, qui peculiari gaudeant exemptione. Spirituali idcirco eius ditioni subiicimus biscentum guadraginta duas paroecias, quibus nunc constat pagus ipse, et e quibus centum sexaginta tres proprium habent inamovibilem parochum, ceterae vero quum amovibilibus sacerdotibus sint commissae viceparochiarum nomine designantur, quamvis in ipsis quoque omnia parochialia munia exerceantur.

Porro Luganensis Apostolicus Administrator ab Apo-

stolica Sede erit eligendus, collato consilio cum Basileensi Episcopo, e sacerdotibus Luganensi iurisdictioni subiectis: sartis ceteroquin manentibus, quae de Luganensium participatione ad electionem Episcopi Basileensis in conventione diei vigesimae sextae mensis Martii anni Domini millesimi octingentesimi octogesimi octavi statuta fuerunt, si id eis, quorum interest, placuerit. Nunc tamen Administrator Apostolicus ille remaneat, qui ad huiusmodi munus ab eadem Apostolica Sede die vigesima mensis Septembris proxime praeteriti anni Domini millesimi octingentesimi octogesimi septimi fuit deputatus, Venerabilis nempe Frater Noster Vincentius Molo Episcopus titularis Callipolitanus. Luganensem autem cathedram sic erectam et constitutam, servata plena paritate iurium, Cathedrali Basileensi Ecclesiae perpetuo pariter iungimus atque unimus; eiusque Ordinarius proinde Episcopi Basileensis et Luganensis utetur titulo. Ceterum sartum tectumque manere volumus quartum articulum conventionis diei primae mensis Septembris anni Domini millesimi octingentesimi octogesimi quarti.

Cum autem Ticinensis pagus peculiaris suae administrationis sumptibus consulat, ipsum propterea onere quidquam contribuendi sive in mensam Ordinarii dioecesani, sive in sumptus generalis administrationis dioecesis, volumus esse solutum. Dicta vero sic, ut praefertur, iuncta et unita cathedralis Ecclesia Luganensis, extraneam semper se exhibebit moderamini dioecesis Basileensis, eo tantum iure excepto, de quo superius quum agitur de par-

ticipatione ad electionem Basileensis Antistitis mentio fuit facta. Traductio quoque ad rem et plena praesentis conventionis applicatio non suberunt extensioni dispositionum conventionis diei vigesimae sextae mensis Martii anni Domini millesimi octingentesimi octogesimi octavi, ut supra eodem loco praevisae, nec usui facultatis inde manantis.

Iamvero ad dotem praefatae Apostolicae administrationis quod attinet, eam constituent francorum millia non minus decem et septem, e quibus duodecim millia ipsi Administratori tribuentur, reliqua quinque millia insumentur in erectione cathedrarum theologiae et philosophiae ad excolendos iis disciplinis clericos non minus Romani quam Ambrosiani ritus, iuxta articulum quartum conventionis diei vigesimae tertiae mensis Septembris eiusdem anni Domini millesimi octingentesimi octogesimi quarti. Vacante autem administratoria Sede, quidquid interim proventus ad ipsam administrationem spectantis cumulabitur; id omne in duas aequales partes divisum, tribuetur novo Administratori et vicario capitulari.

Porro Luganensis Apostolicus Administrator religionem catholicam, apostolicam, romanam sartam tectamque studiose servare atque tueri satagat iis cum iuribus et praerogativis, quibus ex divina canonicaque sanctione ipsa utitur et fruitur: diligentissime cavebit, ne quocumque modo irrepant, aut vulgentur errores adversi puritati fidei, moribus perniciosi. Ipse vero cum suo clero et populo et cum Apostolica Sancta Sede communionem habebit nullis obnoxiam impedimentis, nullisque illaqueatam difficultati-

bus. Liberum insuper erit eidem Apostolico Administratori vicarios, consiliarios administrationis suae constituere viros ecclesiasticos, quos ad sacra ministeria idoneos censuerit; sicuti etiam assumere ac ad statum clericalem et sacros ordines, secundum ecclesiasticos canones promovere, quos necessarios aut utiles suae dioecesi iudicaverit, et e converso quos indignos putaverit a susceptione ordinum arcere. Eius erit praeterea publicas preces indicere aliaque pia opera, cum id bonum Ecclesiae, aut Status, populive postulet; sacras pariter supplicationes, et peregrinationes decernere, funera aliasque sacras functiones, servatis quoad omnia canonicis praescriptionibus, moderari, Synodum convocare et celebrare, eiusque acta vulgare. In proprio insuper cathedrali templo Apostolicum Administratorem Luganensem cathedrale habere volumus capitulum cum suis arca, mensa, sigillo, ceterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, praerogativis, honoribus, praeeminentiis, itemque, cum omnibus iuribus cathedralium ecclesiarum propriis, quibus Basileensis Episcopus sua in cathedrali communi ex iure utitur et gaudet.

Quoniam igitur memoratum collegiale et parochiale Sancti Laurentii templum ad cathedralitatis honorem et fastigium ut supra evectum est, collegium quoque canonicorum ei deserviens ad capituli cathedralis fastigium eadem Apostolica auctoritate perpetuo extollimus. In eo propterea praeter theologalem praebendam, quae iam extat, ad exponendam populo catholicam doctrinam, poenitentiariam quoque addici mandamus, iuxta ecclesiastica

praescripta, animabus fidelium expiandis. Supradictum vero capitulum, uti in praesentiarum, decem constabit canonicis residentialibus, e quibus quinque animarum cura sint onerati, quinque eo onere liberi, manente semper animarum cura penes capitulum; omnesque pari iure et suffragio utentur in actis capitularibus. Sicuti autem Apostolici Administratoris dotem constituunt duodecim francorum millia, uti superius est enunciatum, sic Capituli praedicti dotem constituent octo francorum millia, e quibus tamen inaequaliter, iuxta consuetudinem, partitis, differentiae a nongentis quinquaginta franchis ad septingentos ascendunt. Cum vero videatur dictae Ecclesiae in Cathedralem ut praefertur erectae decus exposcere, ut maior habeatur in templo canonicorum numerus, eique rei obstet inopia cleri, quae non patitur continuam complurium sacerdotum eodem in loco commorationem; hinc Nos freti more, qui asseritur in Helvetia receptus, adsciscendi capitulis praesbyteros alibi commorantes, communicandique cum iis iura et privilegia residentium, eidem Apostolico Administratori potestatem facimus addendi memorato capitulo cathedrali octo ex hisce canonicis ornamentariis, quos dicunt, extra residentes, cum communicatione iurium et privilegiorum. Et quoniam unumquodque capitulum suas habere solet constitutiones et ordinationes, hinc eidem capitulo in cathedrale erecto licentiam pariter impertimur et facultatem eas sibi concinnandi, servata norma Apostolicarum Constitutionum et Concilii Tridentini: hac tamen Apostolici Administratoris iudicio et

examini erunt subiiciendae, nullamque legis vim poterunt habere nisi prius ab eo approbatae fuerint atque sancitae. Ad distributiones chorales vero, quod spectat, istae prout statuta iura decernunt, erunt faciendae. Ceterum quoad minora canonicorum collegia Bellinzona, Locarno, Balerna et Agno nihil esse innovandum declaramus.

Porro idoneorum parochorum electio et canonica institutio, servatis de iure servandis, Apostolico Luganensi Administratori libera manebit. Verum cum earum dos adeo sit exigua ut, additis etiam obventionibus, vix ad mille et quingentos francos pertingere valeat, Administratorem ipsum enixe adhortamur, ut nihil sibi reliquum faciat, quo vel a Ticinensi pago, vel ab aliis, ad quos spectat, ulterius aliquod subsidium ipsis valeat impetrare.

Ad seminarium quod refert, duo in praesens iam habentur; alterum nempe Lugani a Sancto Carolo nuncupatum, cui a Ticinensi Gubernio, uti superius dictum est, quinque francorum millia addicta sunt pro erectione cathedrarum philosophiae ac theologiae ad excolendos alumnos sive Romani ritus, sive Ambrosiani, iis in disciplinis, quae profecto si iuxta Doctoris Angelici mentem studiose tradantur, nequibunt uberem fructum non afferre. Alterum autem habetur Pollegii, cuius reditus francos vix quingentos attingit; quibus accedunt alii mille biscentum franchi constituti a Ticinensi Gubernio e sex millibus fructuum debitorum pro bonis fisco addictis anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo et nondum redditis; ita ut mille et septingenti franchi dum-

taxat seminarii dotem constituant: reliquos vero quatuor mille octingentos francos fructuum alendis et excolendis sexdecim adolescentibus a prima gymnasiali ad completum theologiae curriculum volumus esse deputatos; quod sane utrique simul suffragatur seminario. Habentur demum et alii novem alumnatus pensione ditati tercentum vel tercentum et quinquaginta francorum singuli; ac si ageretur de excolendo aliquo nobili adolescente Asconense e Pontificio Seminario Asconae pensio necessaria peti posset. His insuper addendi sunt duo alumnatus Helvetici nuncupati, ab Archiepiscopali Mediolanensi seminario concessi in Ticini subsidium, nec non duo in Collegio Urbano Romae concessi ab Apostolica Sede, petente defuncto Episcopo bo. mem. Eugenio Lachat. Egregii insuper et nunquam satis laudati huius Praesulis cura sibi et Apostolicae administrationi comparata fuit domus in via Rossa numero quatuorcentum quatuor distincta, ibique Apostolicus Luganensis Administrator commorabitur cum sua curia, seu officiis ad ipsam spectantibus; quae si ampliationem exposcant, eam paratam habebunt in contiguis domibus ad eamdem Apostolicam administrationem pertinentibus, quae huius aedem cum seminario coniungunt.

Quod vero in primis urget animum Nostrum est, ut catholicae iuventutis institutio in universis scholis sive publicis sive privatis ad catholicae doctrinae normam accurate exigatur: Apostolicus idcirco Administrator sui pastoralis officii auctoritate, religiosam iuventutis institutionem ita moderetur in omnibus instructionis locis, ut

numquam in cuiuslibet disciplinae traditione quidpiam subrepat catholicae religioni morumque honestati adversum. In iuventute catholica instituenda propterea nonnisi viri catholici in professores seu magistros nominentur: at quoniam in ludimagistro non minus necessaria est fides, quam morum honestas, quicumque in alterutro claudicare comperiatur, amoveatur. Libri quoque ad tradendam instructionem religiosam idonei ab ipso Apostolico Administratore proponentur. Quod si hisce curis non obstantibus, nondum satis provisum esse alicui scholae videatur, memoratus Apostolicus Administrator virum ecclesiasticum, qui discipulis cathechismum tradat, libere constituet.

Ceterum ad Apostolicae administrationis et piarum institutionum conservationem statutum volumus, ut non modo Apostolica administratio praedicta, Ecclesia cathedralis, capitulum, curia, paroeciae, seminaria, sed etiam singula eiusdem administrationis ecclesiastica et religiosa instituta, corporationes, piae sodalitates, sive iam existentes, sive futurae, servent, libereque et valide propugnent tum legitimam possessionem bonorum suorum quorumcumque, tum etiam plenam potestatem plenumque ius libere acquirendi, fruendi et administrandi bona, reditus, donationes legitime oblatas, et obventiones. Nullam vero eorum suppressionem, vel unionem, aut alienationem fieri posse decernimus absque Sedis Apostolicae auctoritatis interventu, salvis facultatibus a sacro Tridentino Concilio Episcopis tributis. Quod si novae huius Apostolicae administrationis bonum, aut utilitas aliquam postulaverint circumscriptionem aut detractionem,

nulla etiam attributa territoriali compensatione id, collatis cum gubernio consiliis, Apostolicae Sedi liberum manebit. Insuper si in ista nova Apostolica administratione ignota quaevis vel inopinata difficultas exurgat quoad res, iura et personas ecclesiasticas, de qua nihil constitutum sit in praesenti conventione cum gubernio, id iuxta Canonum praxim deferendum erit ad Sedem Apostolicam, cuius erit rem declarare, emendare, vel, collatis cum eodem gubernio consiliis, componere.

Denique canonicam taxam in singulis litterarum Apostolicarum solemnium expeditionibus, quotiescumque novus Administrator erit praeficiendus, habita etiam indulgentius peculiarium circumstantiarum ratione, in aureis florenis de Camera biscentum constituimus, atque ita in libris Camerae Apostolicae sacrique Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegii ad perpetuam rei memoriam inscribi praecipimus.

Ne autem quoad paroecias et vice-paroecias pagi Ticinensis Apostolicae administrationi, ut praefertur, subiectas, quae generalibus tantum verbis superius enunciatae fuerunt, ab arbitraria latina versione nominum aliqua induci possit ambiguitas, eas nominatim hic inferius enumeramus servata vulgari singularum enunciatione: unicuique propterea adiicendo designationem vicariatus, ad quem singulae pertinent, ac servata distinctione paroeciarum inamovibili parocho commissarum, ac earum quae sacerdoti amovibili creditae sunt, quaeque idcirco vice-parochiae nuncupatur. Paroeciae itaque quae inamovibili gaudent rectore hae sunt:

	Parochia	Vicariatus
1.	Agno	Agno
2.	Ariclo	Valle Leventina
3.	Anzonico	» »
4.	Aquila	Valle di Blenio
5.	Aranno	Agno
6.	Arbedo	Bellinzona
7.	Arogno	Riva S. Vitale
8.	Arzo	» »
9.	Ascona	Ascona
10.	Astano	Sessa
11.	Balerna	Balerna
12.	Badigliora	Sessa
13.	Bedretto	Valle Leventina
14.	Bellinzona	Bellinzona
15.	Besozio	Riva S. Vitale
16.	Biasca	Valle Riviera
17.	Bidogno	Valle Capriasca
18.	Biogno	Lugano
19.	Bironico	Bironico
20.	Bissone	Riva S. Vitale
21.	Bodio	Valle Leventina
22.	Bogno	Lugano
23.	Bosco d'Agno	Agno
24.	Brè	Lugano
25.	Breno Frescoggia	Agno

Parochia	Vicariatus
26. Brissago	Brissago
27. Brusino Arsizio	Riva S. Vitale
28. Cabbio	Balerna
29. Cademasio	Agno
30. Cadenazzo	Bellinzona
31. Cadro	Lugano
32. Calonico	Valle Leventina
33. Calpiogna	» »
34. Camignolo	Bironico
35. Camorino	Bellinzona
36. Campello	Valle Leventina
37. Campo	Valle Blenio
38. Canobbio	Lugano
39. Capolago	Mendrisio
40. Carabbia	Lugano
41. Carasso	Bellinzona
42. Caslano	Agno
43. Castagnola	Lugano
44. Castelrotto	Sessa
45. Castel S. Pietro	Balerna
46. Castione	Bellinzona
47. Castro	Valle Blenio
48. Cavagnano	Valle Leventina
49. Caviano	Vira Gambarogno
50. Chiasso	Balerna

Parochia	Vicariatus
—	—
51. Chiggiogna	Valle Leventina
52. Chironico	» »
53. Claro	Valle Rivera
54. Colla	Lugano
55. Caldrerio	Balerna
56. Comano	Lugano
57. Corzoneso	Valle Blenio
58. Cresciano	Valle Riviera
59. Cureglia	Lugano
60. Curio	Sessa
61. Dalpe	Valle Leventina
62. Daro	Bellinzona
63. Davesco	Lugano
64. Dongio	Valle Blenio
65. Faido	Valle Leventina
66. Gandria	Lugano
67. Genestrerio	Mendrisio
68. Giubiasco	Bellinzona
69. Ghirone	Valle Blenio
70. Giornico	Valle Leventina
71. Gordola-Tenero	Locarno
72. Gorduno	Bellinzona
73. Gnosca	Valle Riviera
74. Gudo	Bellinzona
75. Gravoscano	Agno

Parochia	Vicariatus
76. Isone	Bironico
77. Iragna	Valle Riviera
78. Largario	Valle Blenio
79. Lavertezzo	Locarno
80. Leontica	Valle Blenio
81. Ligornetto	Mendrisio
82. Locarno	Locarno
83. Lodrino	Valle Riviera
84. Lamone	Lugano
85. Losone	Ascona
86. Lottigna	Valle Blenio
87. Ludiano	» »
88. Lugano	Lugano
89. Lumino	Bellinzona
90. Magadino	Vira Gambarogna
91. Maggia	Locarno
92. Mairengo	Valle Leventina
93. Malvaglia	Valle Blenio
94. Maroggia	Riva S. Vitale
95. Melano	» »
96. Melide	Lugano
97. Mendrisio	Mendrisio
98. Meride	Riva S. Vitale
99. Mezzovico	Bironico
100. Miglieglia	Sessa

Parochia	Vicariatus
101. Moghegno	Locarno
102. Moleno	Valle Riviera
103. Molare	Valle Leventina
104. Monte	Balerna
105. Monte Carasso	Bellinzona
106. Morbio Inferiore	Balerna
107. Morbio Superiore	»
108. Morcote	Lugano
109. Muzzano	Agno
110. Neggio	»
111. Novaggio	Sessa
112. Novazzano	Balerna
113. Olivone	Valle Blenio
114. Origlio	Valle Capriasca
115. Osco	Valle Leventina
116. Ossogna	Valle Riviera
117. Pazzalino	Lugano
118. Personico	Valle Leventina
119. Pollegio	» »
120. Ponte Tresa	Ponte Tresa
121. Ponte Capriasca	Capriasca
122. Ponte Valentino	Valle Blenio
123. Pontirone	Valle Riviera
124. Porza	Lugano
125. Prato	Valle Leventina

Parochia	Vicariatus
126. Preonzo	Valle Riviera
127. Prosito	» »
128. Prugiusco	Valle Blenio
129. Pura	Agno
130. Quinto	Valle Leventina
131. Rancate	Riva S. Vitale
132. Riviera	Bironico
133. Ronco spp. Ascona	Ascona
134. Rossuna	Valle Leventina
135. Rovio	Riva S. Vitale
136. Salorino	Mendrisio
137. S. Abbondio	Vira Gambarogno
138. S. Antonino	Bellinzona
139. S. Antonio	»
140. S. Nazzaro	Vira Gambarogno
141. S. Pietro Pambio	Lugano
142. Savosa	»
143. Scudeltate	Balerna
144. Sementena	Bellinzona
145. Semione	Valle Blenio
146. Sessa	Sessa
147. Sigirino	Bironico
148. Sobrio	Valle Leventina
149. Sonvico	Lugano
150. Soregno	»

Parochia	Vicariatus
151. Stabio	Mendrisio
152. Tegna	Ascona
153. Tessereto	Valle Capriasco
154. Torre	Valle Blenio
155. Torre di Mende	Mendrisio
156. Torricella	Agno
157. Tremona	Riva S. Vitale
158. Vacallo	Balerna
159. Vairano	Vira Gambarogno
160. Vezia	Lugano
161. Vico Morcote	»
162. Vira Mezzovico	Bironico
163. Vira Gambarogno	Gambarogno

Ecclesiae autem parochiales quae, utpote commissae sacerdotibus amovibilibus, vice-parochiales dicuntur, hae sunt:

Vice-Parochia	Vicariatus
1. Agra	Lugano
2. Arcegno	Ascona
3. Arosio	Agno
4. Auressio	Onsernone

Vice-Parochia	Vicariatus
5. Aurigeno	Locarno
6. Avegno	»
7. Barbegno	Lugano
8. Berzona	Onsernone
9. Bignasco	Locarno
10. Bioggio	Agno
11. Borgnone	Ascona
12. Bosco Maggia	Locarno
13. Brione spp. Min.	»
14. Brione Verzasca	»
15. Broglio	»
16. Brontallo	»
17. Bruzella	Balerna
18. Campo Maggia	Locarno
19. Caneggio	Balerna
20. Carona	Lugano
21. Casima	Balerna
22. Cavergno	Locarno
23. Cavigliano	Ascona
24. Cerentino	Locarno
25. Cevio	»
26. Cimadera	Lugano
27. Cimalmotto	Locarno
28. Coglio	»
29. Comolognio	»

VICE-PAROCHIA	VICARIATUS
30. Contone	Vira Gambarogno
31. Contra	Locarno
32. Corippo	»
33. Crana	Onsernone
34. Cugnasco	Locarno
35. Frasco	»
36. Fusio	»
37. Gentilino	Agno
38. Gerra Verzasca	Locarno
39. Gerra Gambarogno	»
40. Giumaglio	»
41. Golino	Ascona
42. Gordevio	Locarno
43. Grancia	Lugano
44. Indemini	Vira Gambarogno
45. Indragna	Ascona
46. Iseo	Agno
47. Linescio	Locarno
48. Loco	Onsernone
49. Lodarco	Locarno
50. Magliaso	Agno
51. Medaglia	Bironico
52. Menzonio	Locarno
53. Mergoscia	»
54. Minusio	»

Vice-Parochia	Vicariatus
55. Mogno	Locarno
56. Mlosogno	Onsernone
57. Mugena	Agno
58. Muggio	Balerna
59. Riva	Locarno
60. Pallagnedra	Ascona
61. Peccia	Locarno
62. Pedrinate	Balerna
63. Piuzzogna	Gambarogno
64. Rasa	Ascona
65. Ravecchia	Bellinzona
66. Robbasacco	Bironico
67. Russo	Onsernone
68. Sagno	Balerna
69. Pedemonte	Ascona
70. Someo	Locarno
71. Sonogno	»
72. Sornico e Prato	»
73. Valle di Peccia	»
74. Verdasio	Ascona
75. Vergelletto	Onsernone
76. Vernate	Agno
77. Vezio	»
78. Villa Luganese	Lugano
79. Vorgorno	Locarno

His igitur sic constitutis decernimus praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida et efficacia existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quolibet alio defectu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque iuris, vel facti, aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, neque illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos et Successores Nostros Romanos Pontifices, ac Sedem Apostolicam praefatam sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu simili, etiam ex certa scientia, etiam consistorialiter pro tempore factis et faciendis comprehendi, aut comprehensas ullo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque data posteriori quandocumque eligenda concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ita ab omnibus censeri, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, vel dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, vice-Legatos, dictaeqne Sedis Nuncios, sublata eis et cuilibet eorum

quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum etiam et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ingnoranter contigerit attentari.

Quocirca ut haec omnia a Nobis superius statuta, plenum sortiantur effectum, atque rite et exacte conficiantur, memorato Venerabili Fratri Nostro Vincentio Molo hodierno Apostolico Administratori per praesentes committimus et mandamus, ut ipse ad praemissorum omnium et singulorum exequutionem procedat, et non alias.

Non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis « de iure quaesito non tollendo » ac « de unionibus ad partes committendis vocatis quorum interest » aliisque etiam in Synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis, ac litteris Apostolicis, quibusvis superioribus et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia impressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis ha-

bentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium, et validitatis omnium et singulorum praemissorum pro hac vice dumtaxat, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod idem Vincentius Episcopus et Administrator intra duos menses ab expleta praesentium litterarum exequutione authenticum exemplar quorumvis decretorum, quae ad hoc opus feliciter perficiendum lata fuerint, ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium rebus Consistorialibus praepositam transmittere teneatur, ut ea in archivio eiusdem Congregationis ad perpetuam rei memoriam custodiantur.

Volumus etiam quod praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides in iudicio, et extra illud, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, erectionis, declarationis, constitutionis, fundationis, adiunctionis, unionis, elationis, praecepti, facultatis, impertitionis, declarationis, statuti, constitutionis, iussi, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac

beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo octavo septimo idus Septembris, Pontificatus Nostri anno undecimo.

NOVAE DE ORDINANDA BIBLIOTHECA VATICANA LEGES IUBENTUR.

—

LEO PP. XIII.

MOTU PROPRIO.

Augustum sanctissimumque munus, quo romani Pontifices funguntur, maxime postulare ab iis videbatur, ut, quanto plura possent, monumenta litterarum colligerent, in quibus essent varii ingeniorum velut descripti cursus et a quibus praeteritorum temporum sapientia ac multiplicis eruditionis documenta, tamquam e perenni fonte, peti possent. Itaque peropportune providentissimeque decessores Nostri Bibliothecam in ipsis aedibus pontificalibus, suo et Apostolicae Sedis paratam usui, exquisitis omnium disciplinarum voluminibus magno studio et ingenti sumptu locupletandam curaverunt. Pari consilio, nimirum ut ex tanta librorum supellectile maiores usque in Ecclesiae commoda fructus caperentur, Nos quidem vel ab ipsis Pontificatus exordiis cogitationes curasque Nostras in Bibliothecam Vaticanam contulimus. Cumque Nobis

gnarum esset, scite graviterque plura statuta fuisse ad illius tutelam ornatumque a praedecessoribus Nostris inclytae recordationis Xisto V, Clemente XII, Benedicto XIV, Clemente XIII et Pio IX, eorum ingressi vestigia, cavimus ut ea servarentur: et per Constitutionem Nostram motu proprio editam v Idus Septembris anno MDCCCLXXVIII normas praescripsimus, quibus custodiae decorique eius plenius prospectum fuit, aucto officiorum numero, dataque scientiae cupidis copia commodius eam adeundi celebrandique. Nihilosecius resedit in animo Nostro cupido maius aliquid praestandi, quod honori esset Ecclesiae, sanaeque doctrinae utilitati et incremento. Scilicet Nos haud latebat, ferri passim nostra aetate homines studio inflammato ad historicas disquisitiones, ac pervestigandas intimas rerum gestarum causas, eoque studio abuti religionis hostes ut offundant lumini historiae tenebras, eamve mendacio contaminent, ut fallacibus fabulis adiiciant fidem, demum ut calumnias insontibus inferant, virosque omnem promeritos posteritatis laudem in contemptum et invidiam adducant. Sane ad has fraudes evertendas nihil aptius ac validius est, quam in aprico posita factorum veritas, ineluctabilibus testata monumentis litterarum et artium. Quum ingens eorum copia suppetat in Vaticana Bibliotheca, merito censuimus eo clarius lumen firmiusque praesidium ex illa peti posse ad illustrandam veritatem, ad tuendam rem catholicam, ad profligandos errores, quo largius instrueretur subsidiis omnibus ac ministeriis, quibus efficitur ne quid inconditum aut incompositum in ea sit, atque eru-

ditis maximae praebentur opportunitates, quo facilior sit thesaurorum id genus exploratio.

Quum itaque id animo intenderemus, novas statuimus iubere leges de ordinanda Bibliotheca, deque officiis eorum qui ei praesunt vel ministrant, easque complexi Constitutione Nostra motu proprio edita die XII kalendas Apriles anno MDCCCLXXXV servari ad tempus praecepimus experiendi causa. Iamvero triennium et amplius periculo facto, multa ex iis probavit experientia, nonnulla immutari suasit. Quibus sicuti opus erat emendatis, memoratas leges confirmamus et sancimus Pontificia auctoritate Nostra, vimque legis perpetuae obtinere iubemus ex die ipsa his litteris Nostris adscripta.

Decernimus autem et expresse declaramus praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, quamvis non fuerint exhibitae, vel regestis exceptae in actis Camerae, aliusve Officii Apostolici; non obstante Pii IV Constitutione *de registrandis*, aliisque contrariis quibuscumque. Volumus insuper earumdem litterarum triplex exemplar fieri, quorum alterum custodiri iubemus in Regesto Abbreviatoris Nostri de Curia, alterum in tabulario Praefecturae Pontificalis Domus, tertium in peculiari Grammatophylacio Bibliothecae Vaticanae. Committimus autem Cardinali S. R. E. Bibliothecario et mandamus omnibus qui in Vaticana Bibliotheca officia gerunt, ut praedictis legibus pro sua quisque parte fideliter pareant, easque sedulo curent servari. Ceterum Nobis tantum et

Nostris Successoribus *pro tempore* specialiter et directe facultatem reservamus subrogandi derogandique iis legibus, si quid eiusmodi varia temporum ratio, rerumve adiuncta postulaverint; nec non facultatem dirimendi dubitationes omnes et difficultates, quas circa earum significationem vel usum, quum factis aptantur, suboriri contigerit.

Datum Romae apud S. Petrum die I Octobris MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

REGOLAMENTO

DELLA BIBLIOTECA VATICANA

PRIMA PARTE

ORDINAMENTO ORGANICO

1.

La Biblioteca Vaticana, creata ampliata ed arricchita dalla munificenza dei Papi per uso della S. Sede entro il recinto del Palazzo Vaticano, è una sacra proprietà della medesima.

2.

Il Sommo Pontefice ne commette l'alta direzione, col titolo e qualità di protettore, al Cardinale Bibliotecario di S. R. Chiesa.

3.

La Prefettura de'sacri Palazzi Apostolici provvede alla dotazione e alle spese pel suo materiale assetto e per la sua conservazione.

4.

Per l'immediata direzione, per l'andamento e servizio della medesima sono stabilite e retribuite tre classi di officî.

1.ª Sotto-bibliotecarî – Prefetti – Segretario; i quali sotto la presidenza del Cardinale Bibliotecario ed in unione ad altri membri speciali formano il *Congresso direttivo;*

2.ª Scrittori filologi – ed Assistenti;

3.ª Inservienti.

5.

La nomina a tutti i sopra enunciati officî dipende dal Sommo Pontefice, il quale per quelli di 1.ª e 2.ª classe la comunica per l'organo della Segreteria di Stato, e per quelli di 3.ª classe per mezzo della Prefettura Palatina.

DEL CARDINALE BIBLIOTECARIO

6.

È attribuita al Cardinale Bibliotecario l'alta superiorità e sorveglianza sui varî rami di questo pontificio istituto e su tutto il personale che vi appartiene.

Sua cura principale è che da tutti sieno esattamente osservati i decreti e le ordinazioni emanate dai Romani Pontefici sulla biblioteca e che sieno acconciamente disposti e accuratamente custoditi i ricchi tesori e monumenti che vi si racchiudono.

A quest' effetto ha un gabinetto particolare nel recinto dell' edificio, ove può accedere e trattenersi a suo beneplacito.

7.

Esercita le prime parti di onore e corrisponde con gli alti dignitarî nelle cose riguardanti l'istituto; s'informa circa le regolari ammissioni degli estranei allo studio; partecipa ai subalterni le nomine e gli ordini pontificî, dà il possesso ai nuovi Officiali, si accerta che ciascuno adempia al proprio officio e richiama a dovere i negligenti.

8.

Prende parte, quando lo crede, alle adunanze periodiche del Congresso direttivo e vi presiede, e nei casi di urgenza straordinariamente lo fa convocare: esamina e fa esaminare dal medesimo le domande e i progetti su cui per ordine del Sommo Pontefice è richiesto il parere del Congresso; esamina parimenti l'annuo bilancio della biblioteca, le proposte di spese straordinarie per riparazioni ed acquisti, i progetti dei lavori d'illustrazione e di complemento alle collezioni, ed appone il visto ai relativi atti con quelle avvertenze che reputa del caso.

9.

Tratta in udienza col Sommo Pontefice le cose risguardanti la biblioteca, informa il medesimo sull' andamento e servizio degl'impiegati, riferisce i miglioramenti proposti e giudicati dal Congresso direttivo confacevoli al buon indirizzo e incremento dell' istituto.

10.

In caso di assenza viene egli rappresentato nelle sue funzioni dai due Sotto-bibliotecarî, ciascuno per la parte che respettivamente gli è assegnata.

DEI SOTTOBIBLIOTECARÎ

11.

Le attinenze dei due Sotto-bibliotecari, finchè non piaccia al Pontefice di riunirle in un solo soggetto, sono così partite. Ad uno è commessa la direzione dell' economia e della disciplina; all' altro quella dei lavori che concernono la parte scientifica e monumentale. A tale uopo accedono alla biblioteca nei giorni di apertura, per l'opportuna vigilanza e per compiere le loro parti.

12.

Il Sotto-bibliotecario, a cui spetta l'economia, s'occupa della amministrazione dei fondi destinati a dote della biblioteca. A tale effetto fa compilare il ruolo di tutti gl'impiegati e la tabella preventiva delle spese, e li sottopone ogni anno alla Prefettura Palatina col consuntivo. Prende cura dei lavori materiali occorrenti per la biblioteca, come pure degli acquisti deliberati ad incremento del patrimonio scientifico o a decorazione dell'edificio.

13.

In quanto alla disciplina egli ha lo speciale incarico di vigilare acciò che ogni impiegato faccia accuratamente il suo officio; di richiamare al dovere i morosi e gl'indisciplinati, e di adottare verso i medesimi, con intesa del Cardinale Bibliotecario, gli opportuni provvedimenti.

14.

È commesso al Sotto-bibliotecario cui risguarda la direzione dei lavori che concernono la parte scientifica e monumentale di curare la compilazione regolare e completa degl' inventarî e cataloghi, e la sistemazione dell' archivio; di dar mano e presiedere ai lavori di con-

cetto; rispondere alle consultazioni; fare annotare i doni e nuovi acquisti, e ringraziare i donatori.

DEI PREFETTI

15.

Dei due Prefetti o *Custodi*, il primo risiede nel luogo, ritiene le chiavi degl'ingressi, è responsabile delle consegne e compie le prime parti verso tutti quelli che hanno accesso alla biblioteca.

Il secondo lo coadiuva ed assente lo supplisce, specialmente nella sopraintendenza allo studio.

16.

Ambedue sono tenuti alla quotidiana e continuata presenza nelle ore di studio, ed in caso di legittimo impedimento hanno cura che la loro assenza non sia simultanea e che l'officio non rimanga senza assistenza.

17.

Vengono immessi al possesso della loro carica dal Cardinale Bibliotecario e dai Sotto-bibliotecarî con atto regolare di consegna, previa verifica di quanto si contiene nella biblioteca. Tale atto deve stendersi in doppio ori-

ginale, l'uno de' quali si conserva dalla Prefettura Palatina e l'altro rimane nell'archivio della biblioteca.

18.

Hanno pure le chiavi di tutti gli armadî ove si custodiscono le rare edizioni, i manoscritti, i codici e le collezioni artistiche e archeologiche. Eglino sono garanti che queste chiavi restino sempre sotto la loro custodia e niuno ne possa fare uso senza di loro. Parimenti hanno in consegna tutti i corrispondenti indici ed inventarî: di quelli manoscritti e non ancora pubblicati non daranno comunicazione se non a persone debitamente autorizzate.

19.

Essi presiedono alla sala di studio; danno esecuzione ai rescritti di ammissione degli estranei rendendone informato il Cardinale Bibliotecario ; ordinano l'estrazione e il trasporto dei volumi richiesti mediante assistenza di uno degl'impiegati; mantengono l'ordine , il silenzio , e l'osservanza del Regolamento.

20.

Invigilano acciò nelle ore di studio gli Scrittori ed Assistenti compiano le parti loro assegnate , e gli studiosi non abusino del ricevuto permesso, e non rechino

alcuna alterazione o nocumento ai codici e ai volumi sopra cui s'aggirano i loro studî.

21.

Sopravvegliano alla mondezza e al buon assetto di tutte le aule, alla conservazione e integrità materiale di tutte le collezioni e suppellettili, curando che gl' inservienti facciano puntualmente i loro ufficî di polizia e di rassettamento, e che qualunque guasto e deperimento sia prontamente riparato.

22.

Ai Sotto-bibliotecari ed ai Prefetti per l'esercizio del loro impiego vien data speciale facoltà di leggere libri e codici proibiti. Saranno poi muniti di speciali istruzioni circa il poterlo permettere agl'inferiori impiegati ed agli estranei ammessi allo studio.

DEL SEGRETARIO

23.

Il *Segretario* sta agli ordini dei Superiori, attende a quanto spetta alla corrispondenza ed amministrazione. Stende i processi verbali del Congresso leggendoli nelle successive sessioni; partecipa a chi si appartiene le deli-

berazioni del medesimo. Compila il diario ove si notano le vicende dell' Istituto, tanto nel materiale, che nel personale, non che il registro dei doni e degli acquisti. Conserva in officio i documenti finchè non siano collocati in archivio. del quale prende cura dietro consegna fattagli dai Sotto-bibliotecarî col relativo inventario.

DEGLI SCRITTORI

24.

Il corpo degli Scrittori filologi è di tre classi; *ordinarî, emeriti, onorari.*

Gli *ordinari* sono destinati ai lavori bibliografici e ad opere illustrative e letterarie a servigio della biblioteca secondo le varie lingue dei codici che ivi esistono, cioè greca, latina, ebraica, siriaca, araba, slava; e secondo la qualità dei pregevoli monumenti che in fatto di storia e belle arti ivi si conservano.

Gli *emeriti* sono quelli Scrittori ordinarî che dopo lodevole corso del loro officio sono dichiarati tali dal Sommo Pontefice. – Questi vengono esonerati dal servizio ordinario, ma prendono parte ai lavori ed alle consultazioni quando siano addimandati del loro concorso per volere del Santo Padre, o per deliberazione del Congresso.

Gli *onorari* sono coloro che per insigni meriti sono decorati dal Sommo Pontefice di tale titolo senza obblighi particolari.

25.

Gli Scrittori *ordinari* sono tenuti alla presenza quotidiana per ore quattro nei giorni assegnati dal calendario. Il loro servizio sia ad esclusivo profitto della biblioteca, segnatamente per la compilazione degl' indici e cataloghi; per la trascrizione o versione dei codici; per le occorrenti storiche e paleografiche illustrazioni; come anche per preparare i materiali delle deliberate edizioni e curarne la pubblicazione, secondo che verrà loro determinato dal Congresso direttivo.

DEL CONGRESSO

26.

Il Congresso direttivo sotto l'alta presidenza del Cardinale protettore discute e risolve gli affari più rilevanti dell' istituto; ha cura della conservazione dei monumenti; sopraintende alla compilazione dei lavori letterarii e alla loro pubblicazione, consentita che sia dal Sommo Pontefice. Quando per ordine del medesimo viene consultato sopra domande e requisiti di concorrenti, o sopra proposte di opere, di acquisti e provvedimenti per la biblioteca, emette i suoi pareri ragionati e li rassegna al Superiore per cui mezzo furono richiesti.

27.

Fanno parte del Congresso i Sotto-bibliotecarii, i Prefetti e due altri membri nominati dal Sommo Pontefice fra gli Scrittori ordinarî ed emeriti, ed il Segretario. Dovendosi trattare cose relative ai Musei cristiano e numismatico, vi sarà invitato il respettivo Prefetto.

28.

Il Congresso ordinariamente si aduna una volta al mese, il primo Lunedì non impedito, senza bisogno di speciale convocazione. Il Segretario ne compila gli atti e li registra. Le deliberazioni si prendono a maggioranza di suffragi, previa matura e libera discussione: è riservata al Cardinale Bibliotecario la prerogativa del magis in caso di parità. Devono essere comunicate alla Prefettura dei SS. Palazzi le deliberazioni che riguardano provvedimenti straordinarî, spese ed altro di pertinenza della medesima, la quale ne fa relazione al Sommo Pontefice per le sovrane risoluzioni.

29.

Gli Officiali superiori si adunano e si concertano fra di loro ogni qualvolta occorre, pel disbrigo degli affari correnti che risguardano i loro speciali offici ed il generale andamento dell' Istituto.

DEGLI ASSISTENTI

30.

Gli *Assistenti* sono in genere tenuti a prestare l'opera loro in qualsiasi lavoro e incombenza riguardante l'istituto. Il Congresso direttivo deputa ciascuno di essi, secondo la rispettiva capacità, a materie speciali sotto la dipendenza dell'Officiale all'uopo designato. Le loro incombenze si riferiscono principalmente; — 1° all'assetto delle collezioni e compimento de' cataloghi — 2° all'ordinamento ed alla custodia degli stampati — 3° alla segreteria pei servizî di scritturazione e di amministrazione — 4° ai lavori paleografici — 5° all'estrazione, consegna, registrazione e al ritiro dei codici e libri occorrenti per lo studio — 6° all'accompagnamento di persone ragguardevoli che visitano la biblioteca.

31.

Gli *Assistenti* oltr' essere provati per integrità di principî religiosi e politici e per civiltà e onoratezza, devono essere forniti d'una relativa cultura letteraria e paleografica, ed altresì conoscere alcuna fra le lingue straniere che sono maggiormente in uso.

DEGL' INSERVIENTI

32.

Per il servizio materiale dell' Istituto e degli annessi Musei, e per la custodia di tutto il vasto edificio, il numero degl' inservienti viene accresciuto e stabilito in cinque *Bidelli* ed un *Portiere*. Uno fra questi eletto dal Congresso col titolo di *Decano* è responsabile della esattezza di tutti i servizii, compreso quello di guardia.

33.

Nel tempo di servizio essi indossano un vestiario uniforme fornito dalla Prefettura Palatina. Devono stare agli ordini dei Superiori e sotto l'immediata dipendenza dei Prefetti e Segretario, ed eseguire le proprie incombenze con tutta fedeltà diligenza e cortesia, distinguendosi pel loro tratto rispettoso e civile, tanto verso i Superiori, che verso le persone che accedono alla biblioteca.

34.

È loro vietato di contrarre impegni sotto qualunque forma e per qualunque titolo con le persone, che si recano per lo studio o per le visite alla biblioteca, e di pretenderne gratificazioni. Le regalìe spontanee che venissero

loro offerte andranno in comune, e saranno partite in eguali porzioni con la doppia in favore del Decano.

35.

Sono riguardati come inservienti straordinarii i legatori di libri, che provvisoriamente prestano l'opera loro nella biblioteca. Essi stanno sotto l'immediata dipendenza del Sotto-bibliotecario per la economia e dei Prefetti. Per le legature di codici antichi stampati, si useranno le seguenti cautele: — che tali lavori vengano eseguiti in luogo appartato entro il recinto della biblioteca — che niuna legatura si muti se può essere ristaurata — che la vecchia legatura sia conservata quando vi si riconosca interesse o pregio qualunque — che ai legatori si consegnino pochi volumi per volta prendendone nota in apposito registro — che le carte di risguardo recanti qualche scritto o qualsiasi artistico segno e vestigio sieno conservate nei loro luoghi — che la deliberazione delle legature sia prima approvata dal Congresso direttivo.

36.

Per tutti i lavori occorrenti nella biblioteca s'impiegano d'ordinario i soli artisti dipendenti dalla Prefettura Palatina. Il Sotto-bibliotecario dell'economia ad essa si rivolge nei casi di bisogno.

37.

L'orario di apertura, presenza e studio, da osservarsi in avvenire, viene ampliato e stabilito secondo il nuovo *Calendario* annesso al presente regolamento.

38.

Nelle vacanze estive dal 1° Luglio al 30 Settembre, quantunque s'intermettano i lavori ordinarî, non deve mancare un servizio ristretto di assistenza all'istituto per le contingenze e per i lavori straordinarî.

Un turno di due Assistenti e di un Bidello a cura del Congresso sarà stabilito, acciò faccia il detto servizio regolarmente sotto la direzione dei Prefetti.

SECONDA PARTE

ORDINAMENTO INTERNO

39.

Tutto il fabbricato e circuito delle sale destinate in vari tempi dai Sommi Pontefici alla biblioteca Vaticana e alle sue collezioni deve rimanere segregato e libero da altri usi e senza comunicazione e subalterni ingressi di altri officii. Edifizio

40.

Quando le dette collezioni per la loro specifica importanza e pel continuato aumento non potessero coesistere nello stesso recinto senza scapitare del loro pregio artistico e senza recare impedimento alla disciplina e sicurezza della biblioteca, spetterà al Congresso direttivo di riferirne per mezzo della Prefettura Palatina al Sommo Pontefice, il quale deciderà se e dove debbano essere ordinate in separati gabinetti e acconciamente disposte.

41.

Finchè non sia avvenuta la detta separazione, i presenti ordinamenti e le norme disciplinari della biblioteca

si applicano anche alla custodia, conservazione e mostra delle collezioni sopradette.

42.

È interdetto d'introdurre in Biblioteca fuoco e sostanze infiammabili e di visitarla notte tempo.

43.

Il servizio di nettezza per tutto l'edificio si farà dagl'inservienti almeno una volta in ciascuna settimana ed anche straordinariamente se occorre, secondochè verrà loro ordinato dal Sotto-bibliotecario dell'economia e dai Prefetti, ai quali ne è commessa la sorveglianza. Per la sala di studio, per la sala d'ingresso e pei gabinetti speciali dovrà farsi ogni giorno prima che abbia luogo l'apertura dello studio.

44.

Ad un bidello per turno è imposto il servizio quotidiano *di guardia*, che consiste nell' aprire la biblioteca mezz'ora prima, senza ammettervi alcuno sino all' ora dell' ingresso: esso prima di partire dovrà percorrere tutto l'edifizio, ed assicurarsi come ogni cosa si trovi in regola.

45.

Gli addetti alla Biblioteca nelle rispettive attinenze di officio sono mallevadori del danno e deperimento che avvenisse per loro malfatto e negligenza.

46.

Rimane fermo il Pontificio divieto, emanato sin dalla fondazione, di estrarre dalla biblioteca e trasferire altrove — non eccettuate le abitazioni entro i Sacri Palazzi — senza la debita licenza del Sommo Pontefice, qualunque volume manoscritto o stampato, qualunque scrittura, capo d'arte ed oggetto qualsiasi della suppellettile letteraria ed artistica ivi esistente. Suppellettile

Resta pure in pieno vigore la pena della scomunica maggiore, riservata in modo espresso al Sommo Pontefice, e confermata in tutti i Motu-proprii finora promulgati oltre le altre pene disciplinari e la riparazione del danno, contro coloro che contravvengono a questo divieto, dal quale non va esente alcuna classe di persone ancorchè costituite in alta dignità, e neppure lo stesso Cardinale Bibliotecario.

47.

Incorrono nella stessa pena coloro che ardiscono di estrarre pagine, di staccare fogli dai codici, oppure li al-

terano, li corrompono o ne radono i caratteri e le marche, od anche in qualche modo danneggiano con dolo gli stessi codici, i volumi, e gli altri oggetti sopradetti.

48.

Chiunque abbia ottenuto la Pontificia licenza di estrazione deve esibire l'originale rescritto ai Prefetti, e nell'atto della consegna deve loro rilasciare analoga ricevuta da conservarsi insieme al rescritto nell'archivio: nell'atto poi della restituzione deve farsi esatto riscontro degli articoli consegnati, per accertarne la identità e interezza, restituendo od annullando la ricevuta.

I Prefetti terranno un registro di tali estrazioni all'effetto di eccitare i detentori alla riconsegna, qualora decorso un equo spazio di tempo, o cessato il motivo dell'ottenuto permesso venisse ritardata.

49.

Per gli Officiali dell'Archivio Vaticano vien confermata la speciale licenza loro concessa con l'articolo 36 del Motuproprio 1° Maggio 1884, di attingere notizie dalla biblioteca e di consultarne anche gl'indici e manoscritti pei loro studi. Ma quando avvenga di dovere estrarre ed asportare dalla medesima libri, codici ed altre scritture, dovranno attenersi alla norma ivi determinata, cioè previa intelligenza dei due Cardinali Bibliotecario e Archivista, e mediante scheda di richiesta e corrispondente ricevuta in iscritto.

50.

Tutti i codici e volumi sia manoscritti sia stampati, ed oggetti delle varie collezioni dovranno portare una numerazione inalterabile, e dove si può, una marca indelebile che ne designi la proprietà tassativa della Vaticana.

51.

Per l'accurata e più sicura custodia dei codici e delle collezioni, che si conservano in appartati scrigni ed armadii, sono prescritte queste ulteriori cautele: — doppio inventario, l'uno da conservarsi nell'archivio, e l' altro da servire per lo studio; — doppia chiave, da ritenersi una in luogo cauto dal 1° Prefetto, e l'altra da lasciarsi in deposito presso la Prefettura de' SS. PP. AA.; — oltre la chiudenda esterna, rete di ferro munita da serrame per esporli all'aria e preservarli da tarlo; — confronto coll' inventario almeno una volta l'anno in giorni di vacanza alla presenza dei Sotto-bibliotecarî e Prefetti; — assistenza d' uno dei Prefetti o d'altro impiegato da essi incaricato quando si devono estrarre a richiesta degli studiosi, e pronta chiusura degli armadî fatta che sia la estrazione; — vigilanza speciale, rigorosa consegna e custodia quando rimangono fuori di posto per causa di studio o legatura; — assistenza assidua di alcuno degli impiegati destinato dal Sotto-bibliotecario dell' economia,

quando dai lavoranti si fanno acconcimi con apertura di armadì e con estrazione degli oggetti che vi si contengono.

52.

Un'attenzione particolare porteranno i Sotto-bibliotecarî ed i Prefetti sopra manoscritti ed oggetti che minacciano deperimento, per ordinarne rispettivamente la trascrizione e il restauro, facendone scrupolosamente conservare i frammenti e le importanti legature, e corredando i residui di opportune note per l'interesse della storia.

53.

Nell'acquisto e nella permuta di codici, di stampati e di oggetti d'arte si avrà per norma, che sempre proceda una stima competente che ne faccia rilevare il pregio ed il valore intrinseco; che se ne consideri il vantaggio comparativo in riguardo alle collezioni esistenti nella biblioteca; che in ogni caso debba precedere il giudizio e la deliberazione del Congresso direttivo con l'approvazione del Cardinale Bibliotecario.

In casi di acquisto urgente e di non notabile spesa, potranno i rispettivi Prefetti prendere gli opportuni concerti col Sotto-bibliotecario della economia.

54.

È per massima proibito di dilucidare i codici, di copiare le miniature, le lettere iniziali, gli ornati, e di cavarne eliotipie, fotografie o facsimili.

Le domande per ritrarre disegni o fotografie, e per fare altri lavori simili, che non rechino nocumento agli originali, dovranno essere dirette al Cardinale Bibliotecario il quale, ottenuto il voto del rispettivo Prefetto, potrà secondarle, rimettendo al Sotto-bibliotecario della disciplina di determinare le norme e condizioni compatibili coll'interno regolamento, e di approvare l'artista che dovrà eseguirli.

55.

Dopo il compimento degl'inventarî e dei cataloghi di ciascuna collezione, sarà cura del Sotto-bibliotecario per gli studî e dei Prefetti, che vengano compilati *indici speciali* con illustrazioni delle pergamene, degli autografi, dei codici miniati, delle rarità bibliografiche, delle raccolte archeologiche ed artistiche, dei disegni e delle incisioni, delle carte idrografiche e geografiche e delle altre pregevoli specialità che si conservano nella Biblioteca.

56.

I Sotto-bibliotecarî ed i Prefetti volgeranno pure la loro sollecitudine all'ordinamento ed alla manutenzione delle numerose collezioni di libri stampati.

A questa importante sezione verranno addetti, a giudizio del Congresso direttivo, Scrittori ed Assistenti, i quali debbano recare a termine gl'indici della medesima, e tener dietro al suo movimento.

La disposizione delle predette collezioni acconciamente collocate nelle respettive sale non potrà essere dipoi variata senza una grave necessità e senza superiore approvazione, mantenendo in ogni caso l'unità e integrità di esse e la loro corrispondenza con i cataloghi e inventarî.

57.

Impiegati

Per gl'impiegati a servigio della biblioteca, oltre incensurabili qualità religiose e civili, si esige speciale cultura e fisica attitudine, secondo la qualità dell'officio.

58.

Quante volte la proposta ai vari officî sia rimessa al Congresso direttivo, avrà luogo il sistema del concorso per requisiti, o per esame, secondo la natura dei medesimi.

Lo scrutinio ed esame deve in peculiar modo aggirarsi sul merito e sulla capacità intorno alla lingua, letteratura e disciplina a cui devono essere specialmente destinati. — In tal caso, se per ordine del Sommo Pontefice il concerrente debba essere sottoposto ad esperimento, il Congresso direttivo presieduto dal Cardinale Bibliotecario vi assiste, invitandovi, se occorre, da reputati collegi e istituti altri professori o persone di provata perizia in quella lingua e dottrina; e previa discussione e segreta votazione di tutti gli esaminatori, fa relazione dell'esperimento col mezzo dello stesso Cardinale al Sommo Pontefice a cui è riservata la scelta.

59.

Fuori di quelli di ruolo, non possono essere ammessi nella biblioteca altri impiegati senza speciale facoltà pontificia.

60.

Nelle ore di chiusura della biblioteca è vietato anche agli addetti alla medesima di trattenervisi senza permesso del Sotto-bibliotecario della disciplina e del primo Prefetto.

61.

È obbligo di tutti gl'impiegati di prestar l'opera loro per pubblicazioni e lavori a vantaggio e decoro dell'istituto, e per incarichi che d'ordine del Sommo Pontefice venissero loro commessi.

I lavori da pubblicarsi con autorizzazione del Pontefice a nome della biblioteca, prima di essere messi a stampa, debbono approvarsi da persona a ciò deputata dal Congresso.

62.

È ingiunto a tutti di mantenere il segreto in ordine ad atti e documenti riservati che si custodiscono in biblioteca, ed a lavori che vi si eseguiscono a servizio

della Santa Sede. La violazione di tale segreto verrà riguardata come una mancanza grave di fedeltà in officio.

63.

Gli addetti alla biblioteca non possono senza speciale permesso ritenere l'officio di bibliotecarî, di archivisti e di custodi in altri istituti, ed è loro interdetto di fare traffico di manoscritti, di libri e stampe.

64.

La loro condotta nell'interno della biblioteca dovrà essere al tutto corretta e conformata ai regolamenti, ed anche al di fuori dovrà essere onorata e incensurabile, qual si addice ad impiegati del Pontefice e alla qualità dell'istituto a cui appartengono.

65.

Quelli che si rendono biasimevoli coi loro portamenti anderanno soggetti a misure anche di rigore secondo la gravità dei casi.

66.

La retribuzione assegnata agli Officiali ed inservienti della biblioteca viene stabilita dalla tabella esistente presso la Prefettura dei SS. Palazzi.

67.

Per ottenere che il quotidiano servizio di tutti gli impiegati riesca assiduo e diligente, viene ingiunto un registro di *presenza,* nel quale a cura dei Prefetti devono giornalmente notarsi i nomi degl' intervenuti e le ore del prestato servizio.

I permessi di assenza per legittime cause non eccedendi il periodo di giorni 15 si concedono dal Sotto-bibliotecario della disciplina: se per maggiore durata, occorre l'autorizzazione del Congresso ed il beneplacito del Cardinale Bibliotecario.

68.

Per le illegittime assenze e per le abituali negligenze in ufficio, verranno applicate misure disciplinari di ammonizione, o, secondo il caso, di ritenute sullo stipendio.

69.

Il Congresso deve tenersi informato dei lavori che si vanno eseguendo da ciascuno Scrittore ed Assistente, e nel Novembre deve da ognuno di essi esigere una relazione scritta di ciò che ha fatto durante l' anno.

Con questi ed altri elementi il Congresso forma la relazione, da rassegnarsi annualmente al Sommo Pontefice, sullo stato e andamento della biblioteca e servizio degli impiegati.

TERZA PARTE

ORDINAMENTO PER LO STUDIO E PER LE VISITE

70.

Studio

La nuova sala attigua alla biblioteca, testè attuata e fornita di tutto il necessario, è destinata allo studio per gli scrittori e per gli estranei.

71.

Nei giorni e nelle ore di apertura designati dal nuovo calendario, la sala di studio sarà accessibile a tutti coloro che vi sono debitamente ammessi.

72.

In quanto all'accesso di estranei ed alle comunicazioni di materie di studio, i Prefetti abbiano presente, ed all'opportunità facciano palese quale è la mente dei sommi Pontefici nell'aprire ai privati la loro biblioteca; cioè — 1° che scopo unico è di favorire la ricerca della verità, l'incremento della religione e della sana scienza; — 2° che le comunicazioni sono limitate ai monumenti, ai codici ed agli oggetti di arte, i quali formano la suppellettile più ricca e più pregevole della Biblioteca; gli stampati, facili a trovarsi nelle pubbliche

librerie, non si apprestano ordinariamente agli studiosi se non in quanto abbisognano per lo esame e confronto dei testi a penna; — 3° che non si comunicano atti e documenti d'indole riservata per ragione di pubblico interesse religioso e sociale, o riferentisi a persone viventi, o a fatti di recente data; — 4° che sta sempre in arbitrio del Pontefice di moderare, e secondo le contingenze anche sospendere e revocare il permesso di accesso e comunicazione a questo suo interno istituto.

73.

L'ammissione degli studiosi alla biblioteca si concede dal sommo Pontefice con particolare rescritto, o immediatamente, o per organo della Segreteria di Stato. Le domande devono essere dirette allo stesso Sommo Pontefice e presentate per mezzo della detta Segreteria, alla quale per cura del Sotto-bibliotecario della disciplina saranno tosto trasmesse quelle, che i postulanti credessero di depositare negli officî stessi della biblioteca.

74.

Nelle relative suppliche dovrà designarsi la qualità dello studio ed accennarsi lo scopo ed uso delle ricerche.

Le persone straniere o sconosciute dovranno inoltre presentare i titoli comprovanti le loro personali qualità.

75.

Ottenuta la licenza pontificia, i Prefetti ammettono i postulanti nella sala di studio, assegnano ad essi un posto, fanno porgere loro la scheda di domanda, nella quale ciascuno indica il codice o volume domandato, e mette la propria firma.

76.

Dei codici o volumi domandati i Prefetti ordinano la estrazione nel modo detto all' art. 19, e fattili col mezzo dei Bidelli trasportare alla sala di studio, li consegnano ai richiedenti dietro ricevuta per ciascun codice distaccata dalla matrice con indicazione dei connotati distintivi del medesimo.

77.

I codici, i volumi ed altri manoscritti ad un medesimo richiedente non si consegnano che uno per volta. Per consultarne contemporaneamente più insieme occorre un permesso speciale dei Prefetti, i quali prescriveranno le cautele nei singoli casi opportune.

78.

È ingiunto agli studiosi di usare la più scrupolosa diligenza nel trattare e svolgere i documenti che rice-

vono, badando di non soprapporvi oggetti e materie da insudiciarli o da nuocere alla loro integrità e conservazione, ed astenendosi dal farvi annotazioai, segni o cancellature.

79.

Per lavori anche innocui di disegno, facsimile, fotografia e simili dovrà starsi al disposto dell' art. 54, in virtù del quale devono in ciascun caso aver luogo domanda e autorizzazione speciale, ed opportune cautele secondo la qualità del lavoro.

80.

Quelli che osassero commettere sottrazioni a danno della biblioteca, ovvero che osassero staccar fogli, radere o adulterare i caratteri e le marche, o contraffare dolosamente o corrompere i testi, oltre l'azione penale e l'immediata espulsione ed interdizione di accesso, incorrono nella sanzione espressa negli art. 46 e 47 del presente regolamento, cioè nella scomunica maggiore riservata al Sommo Pontefice.

81.

Presiedono alla sala di studio i Prefetti; hanno sotto di sè un Assistente e due Bidelli per esercitare la debita

vigilanza e l'occorrente servizio, e mantenere l'ordine ed il silenzio. Ad ognuno incombe di contenersi con tutti i riguardi di civile rispetto e urbanità: è vietata qualunque discussione, contesa, e qualsiasi molesto rumore.

82.

Non potranno i Prefetti permettere agli estranei di trattenersi nella sala di studio e nei locali della biblioteca fuori dei giorni e delle ore di apertura stabiliti dal calendario.

83.

È bensì in potere dei Prefetti di congedare dalla sala e interdire l'accesso a coloro che abusassero del ricevuto permesso, o contravvenissero alla disciplina ed ai regolamenti.

84.

Non è permessa la trascrizione di testi e documenti manoscritti per mezzo di estranei amanuensi. Quando gli studiosi intendano di farla di propria mano, ne domanderanno il permesso ai Prefetti, i quali sono in facoltà di esaminare il testo prima di annuire, e di esigere la revisione della copia, prima che sia estratta dalla biblioteca.

Se la trascrizione venga domandata direttamente alla

biblioteca, i Prefetti vedranno se sia il caso di darne l'incarico ad alcuno degli addetti all'istituto per eseguirla, ovvero di provvedere altrimenti. Il lavoro sarà equamente retribuito.

85.

I Prefetti faranno notare in apposito registro le copie estratte, e raccomanderanno agli studiosi di esibire in dono alla biblioteca un esemplare della pubblicazione che essi faranno con notizie e documenti desunti dalla medesima.

86.

Al termine dell'apertura devonsi in ciascun giorno riprendere i volumi e codici dalle mani degli studiosi, ai quali non si rende l'atto di ricevuta, se non previa restituzione e verifica della interezza ed identità di ciò che era stato loro consegnato.

87.

Nella sala di studio è stabilito uno o più armadi guarniti, ove i Prefetti giornalmente fanno riporre dai Bidelli e provvisoriamente custodire i codici, e tutto ciò che serve allo studio. Le chiavi di questi armadi e la chiave duplicata degli scanni degli Scrittori devono custodirsi dal primo Prefetto.

88.

L'apparato telefonico testè messo in opera nell'ampio perimetro della biblioteca, è destinato esclusivamente ad agevolare l'interno servizio della medesima.

89.

Visite I Superiori stabiliranno di concerto per i visitatori un orario consentaneo alla qualità del luogo, subordinato ai bisogni del servizio ed alla generale disciplina dei SS. Palazzi. Non sono ammesse visite nei giorni festivi e nelle ore in cui la biblioteca è chiusa per lavori straordinari.

90.

Nelle ore destinate alla visita sono chiusi gli armadi, gli scrigni e le scansie a vetro, ove si custodiscono le varie collezioni, nè potranno aprirsi senza i Prefetti che ne conservano le chiavi.

91.

L'accesso dei visitatori deve a cura dei Prefetti essere ordinato in maniera, che non avvenga mai senza loro intesa, e che il Portiere od un Bidello rimanga sempre alla porta per introdurli e per ricevere la consegna de' bastoni, ombrelli ed oggetti che ai visitatori non è

permesso di portare entro le aule; e che altri due Bidelli, e non meno, sieno destinati ad associarli, non dovendo per regola permettersi visite senza accompagnamento, ed in soverchia moltitudine da ingenerare confusione, ma a separati drappelli, evitando sempre inutili colloqui e prolungati trattenimenti. Ai visitatori di riguardo i Superiori stessi fanno cortese officio di compagnia, o deputano una guida erudita fra gli Scrittori od Assistenti.

92.

È obbligo degli accompagnatori d'invigilare attentamente che non si commettano sconci od abusi, che non si tocchino e non si estraggano oggetti dai loro posti, e che non si rechi alcun danno alla suppellettile, ai monumenti, ai mobili ed alle sale della biblioteca. In caso che ciò avvenisse, ne devono prontamente informare i Prefetti, i quali hanno pieno potere di fare espellere gli autori e adottare le opportune misure contro di essi.

Non sono ammessi i così detti ciceroni, o servitori di piazza a fare da guida ai visitatori.

93.

Tutti gli addetti alla biblioteca, essendone avvisati, sono tenuti ad intervenirvi anche fuori delle ore di servizio, quando ufficialmente accede il Sommo Pontefice, e

quando per suo invito visitano la biblioteca sovrani, principi e personaggi ragguardevoli.

94.

Ciascuno dei Superiori, per la parte che lo riguarda, curerà la esatta osservanza del presente regolamento, essendo riservata al solo Sommo Pontefice la facoltà di derogarvi.

Resta abrogata ogni anteriore disposizione che non fosse in conformità del medesimo.

CALENDARIO

PER L'APERTURA E PER LO STUDIO E SERVIZIO

DELLA BIBLIOTECA VATICANA

ORE

Ore quattro in ogni giorno; cioè, dal 1 Ottobre a Pasqua di Risurrezione, *dalle 9 ant. all' 1 pom.*; — da Pasqua al 30 Giugno, *dalle ore 8 ant. al mezzodì.*

GIORNI

Lo studio ed il servizio è quotidiano, meno i giorni qui appresso notati.

VACANZE

In tutte le domeniche e giorni festivi di precetto.

In tutti i giovedì dell'anno.

Nelle feste natalizie, *dal 24 al 28 Dicembre.*

Nella festa della Cattedra di S. Pietro, *18 Gennaio.*

Dal giovedì avanti quinquagesima a tutto il mercoledì delle Ceneri.

Dal mercoledì santo sino al mercoledì dopo Pasqua inclusivo.

Nella stagione estiva, dal 1° Luglio al 30 Settembre.

Nei giorni anniversari dell' elezione e incoronazione del Sommo Pontefice.

Nel giorno anniversario della morte dell' ultimo Pontefice.

Nei giorni di Concistoro pubblico o semipubblico.

Dal giorno della morte del Sommo Pontefice sino all' incoronazione del Successore.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO

CAROLO MARTIALI S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI LAVIGERIE

ARCHIEPISCOPO CARTHAGINIENSI ET ALGERIENSI.

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Opus tibi sane magnum et arduum, urgente Nos caritate mandavimus: scilicet ut omnia fidenter experiri, quaecumque in tua essent potestate, velles, ad prohibendam tot miserorum in Africa servitutem. — Quod tamen ita suscepisti libens, ut facile appareret, qualem animum, ubi salus hominum agitur, quamque excelsum geras. Nunc vero ex litteris tuis intelleximus, et alacriorem te et ardentiorem ea in re quotidie fieri, ut vel summos pro eadem labores non modo non recusare, sed appetere etiam ac deposcere videaris; proptereaque non possumus, aut etiam non debemus continere Nos, quin his apud te litteris testemur, probari Nobis vehementer coeptus istos tuos, in quibus ipsis pro merito commendandis haud segnes extitisse Episcopos, et scimus et laetamur. Ceterum eum tibi optamus precamurque exitum, quem par est in caussa tam nobili bonaque consequi. — Atque initia quidem

satis iubent confidere, si Deo placet, de reliquis. Consentiunt enim summi Europae Principes, quod anno MDCCCLXXVIII in conventu Berolinensi spoponderunt, obviam animosius eundum tam ingenti malo. — In privatis autem hominibus videmus plurimorum misericordiam litteris abs te ac sermone commotam: idque, ut epistola tua confirmat, non modo apud magnanimum genus cives tuos, sed etiam apud Belgas in alienarum solatia calamitatum et ipsos natura paratissimos; et apud Britannos de mancipiis Aethiopum diu multumque meritos, et apud catholicos e Germania, de quorum pietate, quemadmodum etiam de Lusitanorum, nihil est tam magnum quod non iure expectemus. Pari autem propensione voluntatis et Italos et Hispanos fautores operis adiutoresque futuros, nullo pacto ambigimus. Si servitutis Afrorum indignissimae teterrimaeque plenior aliquanto cognitio continuo inflammavit animos, et ad quaerenda remedia fecit alacres, humanitatis simul caritatisque christianae sensibus magnopere excitatis, non inepte coniicimus, quantum ex Europa approbationis gratiaeque hactenus impetravisti, tantumdem operae ac liberalitatis te posthac impetraturum. — Itaque non hortabimur te, neque enim hortatione indiget tam actuosa virtus, sed potius gratulabimur, quod pergas isto animo constantiaque, Deo auspice, coepta persequi. Certe nuspiam episcopalem caritatem tuam utilius collocaveris, nec ulla propemodum re merueris de christiano nomine melius. Est enim cunctorum aeque hominum, non minus christiano quam natu-

rali iure, sancita libertas: Ecclesiamque si qui criminantur aut ullo tempore fuisse servituti conniventem, aut non satis de eadem tollenda laboravisse, ii nec gratos se, nec gnaros rerum probant, cum luculente historia loquatur quid hanc ad rem viri apostolici in ipsa Africa, quid ex urbe Roma, principe catholici orbis, summi Pontifices praestiterint. Tu vero ne dubites quin rebus omnibus, quibus possumus, consilia Nos industriamque tuam simus adiuturi. Cuius voluntatis Nostrae quasi pignus habeto argenteos italicos nummos *ad ter centum millia:* quam tibi summam perhibentes destinamus, ut in collegia, seu *comitatus* abolendae Afrorum servituti institutos, opportune cures partiendam. Nihil profecto optatius esse Nobis potest, quam ferre opem hominibus tam inhumane vexatis: ipsosque ex omni gente catholicos, quorum eximia erga Nos, hoc nominatim anno, liberalitas extitit, nosse iuverit, munificentiae suae fructus huc etiam adhibitos, nimirum ad propulsandas tam immanes iniurias, tuendamque in tot fratribus nostris humanae personae dignitatem. — Macte animo, dilecte Fili Noster, spemque maximam in parente ac servatore cunctorum hominum Deo repone; cuius munerum auspicem paternaeque Nostrae benevolentiae testem tibi et clero populoque tuo universo Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Octobris MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

DECRETUM

DE GRATIARUM ACTIONIBUS DIE XXXI PROXIMI MENSIS DECEMBRIS SACRATISSIMO CORDI IESU PERSOLVENDIS.

—

Plures catholici orbis sacrorum Antistites supplicia vota Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII nuperrime porrexerunt expostulantes, ut omnes Ecclesiae filii, qui hoc anno, ad finem nunc properante, Eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Iubilaeum Sacerdotale ubivis unanimi et impensissimo dilectionis ac religionis studio concelebrarunt, iterum congregentur ad gratiarum actiones Sacratissimo Cordi Iesu persolvendas, unde fluenta divinae misericordiae in omnes abundanter emanant. Hisce porro votis et precibus, quae et eximiae in Deum pietatis, et erga Iesu Christi Vicarium in terris filialis obsequii praestantissimum extant argumentum, ab infrascripto sacrorum rituum Congregationis Secretario relatis, Sanctitas Sua obsecundans, declarare dignata est a Se maxime probari et commendari, ut in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus et aliis in quibus, de Reverendissimorum Ordinariorum consensu, placuerit, postrema die, nempe XXXI proximi mensis Decembris, ad Divini Cordis

cultum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi per aliquod temporis spatium maneat expositum; Beatae Mariae Virginis Rosarii quinque decades recitentur, ac demum post cantum hymni Ambrosiani, et *Tantum ergo,* additis Orationibus *Deus, cuius misericordiae, — Concede nos,* Collectis pro Papa et pro Ecclesia, populo cum Divina Hostia benedicatur. Singulis vero Christifidelibus rite confessis ac sacra Synaxi refectis, qui eiusmodi publicae deprecationi pie interfuerint, et dulcissimum Servatoris nostri Iesu Christi Cor pro gratiarum actione ut supra, nec non pro sanctae matris Ecclesiae et Apostolicae Sedis tranquillitate et pace ac pro peccatorum conversione cum fide et fiducia exoraverint, Beatissimus Pater Indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta, animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, benigne concedit. De postulato autem, quod ab iisdem sacris Praesulibus simul exhibitum fuit, pro elevando annuo festo Sacratissimi Cordis Iesu in tota Ecclesia ad ritum duplicis primae classis, Sanctitas Sua sibi reservavit.

Die solemni omnium Sanctorum, I Novembris, anno MDCCCLXXXVIII.

D. Cardinalis BIANCHI S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. *Secretarius*

CHIROGRAPHUM

DE COENOBIO EREMITARUM S. AUGUSTINI CARPINETI RESTITUENDO.

LEO PP. XIII.

Carpineti, in oppido Nostro natali, pervetus est pioque municipum studio celebrata aedes sancti Augustini, magni Ecclesiae doctoris, quem illi sibi patronum caelestem iam inde atiquitus adscivere. — Continens aedi coenobium est, quod sodales Augustiniani ex familia Eremitana cum diu incoluissent, in illa exorientis huius saeculi tempestate, vi coacti reliquerant. Vacuis aedibus contigit, ut in ius possessionemque concederent *Pecciorum* e gente Nostra: qui quidem silere omnino sanctissimas in templo caerimonias non tulerunt: nominatimque festum sancti Doctoris diem solemni ritu quotannis agendum, coniuncta Cleri populique operâ, curaverunt. — Nos autem, posteaquam Pontificatum maximum suscepimus, tum religione patroni caelestis, tum etiam patriae caritate permoti, impensa Nostra templum refecimus, altare marmoreum extruximus: item aedes fatiscentes ac ruinosas non exigua molitione a solo restituimus. Operibus absolutis, quoniam

omnino statueramus pietati votisque Carpinetensium obsecundare, unâque benevolentiam Nostram in religiosum ordinem testari de re catholica tam egregie meritum tamque diu, in eam aedem sacram adiectumque coenobium, veluti in sedes suas pristinas, sodales Augustinianos perlubente animo reduximus. — Huius igitur auctoritate chirographi Nostri constituimus et praecipimus, ut ii templo utantur, item continenti domo, nemine impediente, utantur fruantur, hac tamen lege, ut aedificiorum tuitioni prospiciant aere suo. Atque ut a Nobis etiam conferatur unde honeste alantur, iisdem sodalibus Augustinianis usumfructum eius agri Nostri, qui templo coenobioque adiacet, damus, adtribuimus. — Ius vero dominii in agrum, in aedes, in ipsum templum esse volumus penes *Ludovicum Pecci* Comitem, nepotem Nostrum, et liberos posterosque eius masculini sexus: quibus ille liberis posterisve si caruerit, penes primogenitos ex reliquis agnatis Nostris masculini sexus: qui si nulli fuerint, agnatos ex altero sexu substituimus. — Quod si caussa aliqua, quaecumque demum ea futura sit, inciderit, quamobrem sodales Augustiniani id templum, domum, agrumve relinquant, tum volumus ac decernimus, ut templum, domus, ager eo ordine modoque, quo dictum est, ad agnatos Nostros pleno iure perveniant.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Novembris MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

CHIROGRAPHUM

DE CAPELLANIA PERPETUA
IN CARPINETENSI S. AUGUSTINI TEMPLO INSTITUENDA.

—

LEO PP. XIII.

Cum providentiae Nostrae utilitatisque publicae putemus esse, divino cultui satius consulere in Carpinetensi sancti Augustini templo, quod unâ cum continenti coenobio sodalibus Augustinianis ex Eremitana familia assignavimus addiximus, eo modo iisque conditionibus, quas chirographum continet nudiustertius datum: idcirco sacerdotium, hoc est *Capellaniam* perpetuam hoc Nostro chirographo instituimus ex annuo Libellarum *viginti millium* reditu. — Quam quidem ex pecunia Nostra summam eisdem sodalibus numeravimus, eorumque fidei hunc ipsum in usum commisimus, adiectis legibus, quae infra scriptae sunt:

I. ut in templo supra dicto sacrum ad mentem Nostram quotidie fiat:

II. ut Nobismetipsis quotannis, anniversario funeris die, et sacro solemni parentalia fiant, et singuli ex Augustiniana familia sacerdotes, quotquot eodem in coenobio consistant, sacrum in expiationem faciant.

Si vero, quod auguramur nulla ratione fore, Carpineto Augustiniani cesserint, aut coenobium templumve dimiserint, tum summus magister Ordinis quotidianum sacrum, uti supra constitutum est, per sodales suos ubivis faciendum curet.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Novembris MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
HENRICO EDUARDO TIT. SS. ANDREAE ET GREGORII
IN MONTE COELIO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI MANNING
ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSI
ET VENERABILIBUS FRATRIBUS EPISCOPIS ANGLIAE.

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER, VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Etsi nec dubia Nobis nec obscura esset consensio vestra cum ceteris sacrorum Antistitibus, qui leges singulares adversus Clerum ab italico gubernio, obtentu coërcendorum criminum rogatas graviter improbarunt; litteras tamen, quas huius consensionis testes coniunctim ad Nos dedistis, perinde acceptas habuimus ac si Nobis ea res insperata obtigisset. Ex iis enim magis magisque effulget unitas spiritus, qui Ecclesiae pastores divinitus agit ut sint perfecti in eodem sensu et in eadem sententia, ac luculentius evincitur, Nos in iis legibus improbandis non odio aut invidia motos fuisse adversus eos qui in hac regione summae rei praesunt, sed pro dignitate ministerii

Nostri vindices fuisse aeternae legis quae praecipit ea quae recta sunt, prohibetque contraria. Accessit porro litteris vestris gratia ex iis quae sapienter animadvertistis de vi et natura novarum legum aversa a moribus populorum, qui politiori humanitate exculti sunt, deque iactura quae per eas infertur non modo Ecclesiae, sed etiam liberorum civium iuribus quae re violantur, licet efferantur verbis. Demum solatium haud leve ex eo cepimus quod perspeximus, vos eodem studio, quo alias gratulationis Nostrae fuistis participes, ultro in societatem venire doloris Nostri, et ea qua valetis ope contendere ut Nobis subveniatis. Iura siquidem Nostra impavida adserentes voce coram hominibus, supplicesque preces adhibentes Deo eo profecto spectatis, ut concors suffragium et auctoritas omnium qui recta sentiunt homines religioni infensos deterreat ab inceptis, ac Deus potenti iussu fluctus compescat quibus iactatur Ecclesia. Interim eo quo par est grati animi sensu studia vestra et officia complexi Deum adprecamur vicissim, ut omnem gratiam abundare faciat in vobis, simulque Apostolicam benedictionem, constantis dilectionis testem vobis, dilecte Fili Noster, Venerabiles Fratres, nec non Clero et fidelibus curationi vestrae concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Novembris MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS S. EMYGDIUS NURSINAE CIVITATIS ATQUE DIOECESIS COMPATRONUS CAELESTIS DECLARATUR.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Vicarium Pastoris aeterni munus hic obeuntes in terris, iis potissimum votis obsecundare solemus, quae in exploratam christiani gregis utilitatem cedant. Iamvero sanctum Emygdium Episcopum et Martyrem, quem christiana plebs terraemotus flagelli depulsorem ubique veneratur, quo benevolum ipsius patrocinium contra eiusmodi flagellum persentiant, clerus, municipes et populus civitatis ac totius Nursinae dioeceseos, quae tantum saepe saepius in discrimen venit, unanimi voto tamquam suum peculiarem apud Deum Patronum elegerunt. Hinc cum Venerabilis Frater Dominicus Bucchi Accica hodiernus Episcopus Nursinus, suo interposito suffragio, Nos enixis precibus adierit, ut huiusmodi electionis sanctionem concedere dignaremur; Nos quibus nihil est potius, quam ut magis ac magis pietas excitetur, simulque gloriosae sanctorum memoriae, religiosa sollemnitate concelebrentur, ut

meritis eorum consocientur christifideles, atque orationibus adiuventur, ipsius Antistitis optatis libenti animo annuendum censuimus. Quae cum ita sint omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, peractam ut supra electionem confirmamus ratamque habemus, perpetuumque in modum indulgemus, ut amodo sanctus Emygdius Episcopus ac Martyr, tamquam caelestis compatronus ipsius civitatis atque universae Nursinae dioeceseos haberi valeat, festumque eius celebretur sub ritu duplici secundae classis, servatis rubricis. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXVII Novembris MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. LEDOCHOWSKI

EPISTOLA

VENERABILIBUS FRATRIBUS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS AMERICAE.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quam aerumnosa et calamitosa sit eorum conditio, qui ex Italia quotannis in Americae regiones ad vitae subsidia quaerenda turmatim commigrant, tam compertum vobis est, ut nihil attineat id fuse per Nos explicari. Imo vero mala, quibus illi premuntur, vos quidem ex propinquo intuemini, eaque, datis non semel ad Nos litteris, commemorata dolenter sunt a plerisque vestrum. Deflendum sane, quod tot miseri Italiae cives, solum mutare inopia coacti, in mala plerumque graviora incurrant, quam quae effugere voluerunt. Ac persaepe ad labores varii generis, quibus vita corporis absumitur, longe miserior adiungitur animorum pernicies. Prima ipsa demigrantium transvectio periculis plena ac detrimentis est: incidunt enim plerique in cupidos homines, quorum quasi mancipia fiunt, et gregatim in naves coniecti, atque inhumane habiti, ad depravationem naturae sensim impelluntur. Ubi vero

ad destinatas oras appulerunt, linguae et locorum ignari quotidianis operis addicti, improborum insidiis, et potentiorum, quibus sese manciparint, patent insidiis. Qui autem industria sua satis sibi parare potuerunt unde vitam tueantur, versantes tamen assidue inter eos, qui omnia ad quaestum et utilitatem suam referunt, nobiles humanae naturae sensus paullatim exuentes, eorum vitam vivere discunt qui omnes spes et cogitationes suas in terra defixerunt. Huc accedunt obvia passim irritamenta cupiditatum, fraudesque sectarum, quae istic late grassantur religioni infensae, et plerosque in viam trahunt quae ducit ad interitum.

In his autem malis illud longe luctuosius est, quod in tanta multitudine hominum, amplitudine regionum, difficultate locorum, haud facile praesto esse iis potest ea, quae par esset, salutaris cura ministrorum Dei, qui italicae compotes linguae, ipsis verbum vitae tradant, sacramenta administrent, et opportuna subsidia impertiant, quibus eorum erigatur animus in spem bonorum caelestium, et vita spiritus sustentetur ac vigeat. Hinc multis locis rari admodum sunt ii, quibus sacerdos adsit morituris, non rari quibus nascentibus minister deest ad regenerationis lavacrum: plurimi sunt quibus nuptiae, nulla habita Ecclesiae legum ratione ineuntur, unde similis patribus propagatur proles, atque ita passim apud hoc genus hominum oblivione delentur christiani mores, pessimi quique inolescunt.

Haec omnia Nos reputantes animo, ac miseram tot

hominum vicem dolentes, quos quasi oves pastore destitutas deerrare cognoscimus per avia abrupta et infesta locorum, simulque cogitantes Pastoris aeterni caritatem et monita, Nostri muneris esse duximus, omnem quam possumus eis opem afferre, salubria pascua parare, ac omni qua datur ratione, eorum bono et saluti consulere. Quod eo libentius aggressi sumus, quod caritas hominum, quos eadem ac Nos regio tulit, ad id proniores faciat, ac certa spes teneat, nunquam defore Nobis studia vestra operamque adiutricem. Quapropter curavimus, ut in sacro Consilio christiano nomini propagando hac super re consultatio haberetur, eique mandavimus, ut quaesitis et diligenter expensis remediis, quibus tot mala et incommoda possint depelli, sin minus, allevari, quod maxime e re foret proponeret Nobis, utrumque spectans, ut animarum saluti prodesset, atque migrantium molestias, quatenus fieri posset, leniret. Cum vero causa potissima invalescentium malorum in eo sit, quod infelicibus illis desit sacerdotale ministerium, per quod caelestis gratia impertitur et augetur, plures ex Italia presbyteros istuc mittere decrevimus, qui conterraneos suos noto solentur alloquio; doctrinam fidei ac vitae christianae praecepta doceant ignorata aut neglecta, sacramentorum apud eos salutari ministerio fungantur, succrescentem sobolem ad religionem et humanitatem informent, omnes demum ex quovis ordine, consilio ac ope iuvent, cunctisque foveant curae sacerdotalis officiis. Quo id commodius ac plenius effici posset, per litteras Nostras XVII Kalendas Decembres anno superiore

datas sub annulo Piscatoris, Apostolicum sacerdotum Collegium Placentiae episcopali in sede, curante Ven. Fratre Iohanne Baptista Placentinorum Episcopo constituimus, quo ecclesiastici viri, quos Christi caritas urget, ex Italia conveniant, ut iis excolantur studiis, iis exerceantur muneribus eaque disciplina, per quam strenue et feliciter penes dissitos Italiae cives legatione pro Christo fungantur, et idonei fiant dispensatores mysteriorum Dei.

Inter alumnos autem huius Collegii, quod quasi Seminarium haberi volumus ministrorum Dei ad salutem Italorum Americam incolentium, iuvenes etiam a vestris regionibus, italis parentibus natos, recipi et institui volumus, modo in sortem Domini vocati sacris cupiant initiari, ut deinde sacerdotio aucti et istuc remeantes, sub vestra pastorali potestate, omnes quarum usus fuerit, Apostolici ministerii partes expleant. Neque vero ambigimus, quin et reduces isti paterna cum caritate excipiantur a vobis, itemque facultates impetrent opportunas sacri ministerii caussa in cives suos, monito parocho, exercendas: quippe ad vos venturi sunt quasi auxiliares copiae, ut sub auctoritate cuiusque vestrum, cuius in dioecesi versantur, sacrae militiae operam navent. Profecto in primo operis exordio tanta haec auxilia haudquaquam erunt, quanta res ac tempus flagitant, neque eorum qui mittendi sunt opera, par esse ita poterit numero et necessitatibus fidelium, ut singulis et remotioribus in locis sacerdotes constitui possint, qui curam animarum gerant. Quamobrem optimum factu censemus, si in dioecesibus, quae advenis ex Italia magis abundant, com-

munia habeantur domicilia sacerdotum, qui exinde digressi circumiacentem regionem peragrent, et sacris expeditionibus excolant. Qua ratione autem, quibusve locis opportunius ea possint constitui, id erit prudentiae vestrae decernere. — Haec omnia quae Apostolicae Nostrae providentiae esse duximus, vobis hisce litteris significanda curavimus. Si quis autem ex vobis compererit sive sensu et iudicio suo, sive collatis cum Fratribus consiliis, aliquid praeterea praestari a Nobis posse ad eorum utilitatem et solatium, quorum causa haec scribimus, sciat se Nobis gratum facturum, si de hoc ad sacrum Consilium fidei propagandae praepositum studiose retulerit.

Ex hoc autem opere, quod ad curam et praesidium plurimarum animarum, omni catholicae religionis solatio carentium suscepimus, fructus Nobis pollicemur uberes, maxime, si accesserint, uti confidimus, ad illud sustentandum tuendumque fidelium, quorum pietati pares suppetant opes, studia et subsidia. — Caeterum adprecati Deum benignissimum, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, ut hisce coeptis propitius adspiret, ac prospera det incrementa, Apostolicam benedictionem intimae dilectionis testem vobis, Venerabiles Fratres, et universo Clero ac fidelibus, quibus praeestis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Decembris MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ARCHIEPISCOPO TURONENSI.

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Est sane molestum et grave, adhibere severius eos, qui loco filiorum diligantur: id tamen vel inviti quandoque faciant oportet, qui aliorum salutem procurare ac tueri sancte debent. Multoque severitatis tunc est necessitas maior, cum non sine causa metuitur ne et graviora fiant incommoda productione temporis, et latius ad offensionem bonorum fluant. — Tales te causae videntur, Venerabilis Frater, nuper impulisse, ut pro potestate in scriptum quoddam animadverteres, sane reprehendendum, quod esset in sacram Episcoporum auctoritatem iniuriosum, neque unum aliquem ex eis carperet, sed plurimos: quorum agendi regendique ratio sic erat acri descripta stilo et prope in iudicium vocata, quasi maximis sanctisque muneribus defuissent. — Profecto non est ullo modo feren-

dum, laicos homines, professione catholicos, palam in diariorum paginis tantum sibi arrogare, ut licere putent et contendant, de personis quibuslibet, non exceptis episcopis, liberrime, prout visum fuerit iudicare et eloqui: in rebus omnibus, nisi quae fidem divinam attingant, ita sentire uti libeat, et suo quemque arbitratu agere. — In hac causa nihil esse potest, Venerabilis Frater, cur de assensione et approbatione Nostra dubites. Muneris enim Nostri maxime est vigilare et conniti, ut divina Episcoporum potestas omnino incolumis atque inviolata consistat. Nostrum est pariter imperare et efficere, ut ea ubique honore vigeat suo, neve quidquam a catholicis iustae obtemperationis et reverentiae ulla in parte desideret. Divinum quippe aedificium, quod est Ecclesia, verissime nititur, tamquam in fundamento conspicuo, primum quidem in Petro et successoribus eius, proxime in Apostolis et successoribus Apostolorum Episcopis: quos qui audit vel spernit, is perinde facit ac si audiat vel spernat Christum Dominum. Ex Episcopis constat pars Ecclesiae longe augustissima, quae nimirum docet ac regit homines iure divino: ob eamque rem quicumque eis resistat, vel dicto audiens esse pertinaciter recuset, ille ab Ecclesia longius recedit [1]. — Neque vero continenda obtemperatio est, quasi finibus, in rebus ad fidem christianam pertinentibus, sed multo amplius proferenda, videlicet ad res omnes, quascumque episcopalis potestas complectitur. Sunt illi

[1] Matth. XVIII, 17.

quidem in populo christiano fidei sanctae magistri, at praesunt etiam tamquam rectores et duces, atque ita praesunt, ut de hominum salute, quos habent a Deo creditos, ipsi Deo ratio sit ab illis aliquando reddenda. Unde existit illa Pauli Apostoli ad christianos hortatio: *obedite praepositis vestris et subiacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri* [1]. — Liquet enimvero et perspicuum est, duplicem hominum esse in Ecclesia ordinem, alterum ab altero natura sua distinctum, pastores et gregem. id est rectores et multitudinem. Prioris ordinis munus est docere, gubernare, moderari vitae disciplinam, praecepta dare: alterius vero officium subesse, obsequi, praecepta sequi, honorem adhibere. Quod si, qui subesse debent, partes eorum qui sunt superioris ordinis sumant, illi non modo temere et iniuria faciunt, sed, quantum in ipsis est, ordinem ab auctore Ecclesiae Deo providentissime constitutum funditus pervertunt. — Si vero forte quisquam in ipso Episcoporum ordine reperiatur non suae satis memor dignitatis, qui religionem officii aliqua ex parte videatur deseruisse, nihil ipsi ob eam causam de potestate sua decederet; et quamdiu communionem cum romano Pontifice retinuerit, profecto ex eius ditione liceret nemini observantiam in eum atque obedientiam minuere. Contra inquirere in acta Episcoporum, eaque redarguere, nullo modo attinet ad privatos: verum ad eos dumtaxat attinet, qui sacro in ordine illis potestate ante-

[1] Heb. XIII, 17.

cedunt, praecipue ad Pontificem maximum, quippe cui Christus non agnos modo, sed oves, quotquot ubique sunt, ad pascendum commiserit. Ut summum, in gravi aliqua conquerendi materia, concessum est rem totam ad Pontificem romanum deferre; id tamen caute moderateque, quemadmodum studium suadet communis boni, non clamitando aut obiurgando, quibus modis dissidia verius offensionesque gignuntur, aut certe augentur.

Ita rerum capita, quae potissima sunt, nec convelli queunt, quin Ecclesiae regimen in magnam confusionem perturbationemque compellatur, non semel Nos commemorare habuimus et inculcare. Satis loquuntur et epistola ad legatum Nostrum in Gallia a te iterum commode evulgata, et aliae subinde ad Archiepiscopum Parisiensem, ad Episcopos Belgii, ad nonnullos ex Italia, binaeque litterae Encyclicae ad Episcopos tum Galliae, tum Hispaniae. Nunc ea ipsa documenta rursus commemoramus, rursus inculcamus, spe magna freti, fore quidem ex admonitione et auctoritate Nostra ut animorum motus apud vos per hos dies excitati resideant, confirmentur omnes et conquiescant in fide, in obsequio, in iusta debitaque eorum verecundia, qui sunt sacrae potestatis in Ecclesia compotes. — A quibus profecto officiis non ii solum putandi sunt declinare, qui rectorum auctoritatem aperta fronte repudient, sed ii non minus, qui adversentur et repugnent callide tergiversando et obliquis dissimulatisque consiliis. Obedientiae vera et non fucata virtus non est contenta verbis, sed in animo potissimum et voluntate consistit. — Quoniam vero culpa

agitur certe cuiusdam ephemeridis, facere nequaquam possumus quin auctoribus ephemeridum catholicis iterum praecipiamus, ut documenta et praescripta, quorum supra est facta mentio, uti leges sanctas vereantur, neque ab eis ullo pacto discedant. Iidem praeterea hoc in animis persuasum habeant et defixum, se nimirum, si usquam praeterire illud propositum et iudicio suo indulgere non dubitent, sive praeiudicando quod Apostolica Sedes nondum censuerit, sive auctoritatem Episcoporum laedendo, sibique eam arrogando quam habere non possunt, frustra omnino confidere, germanam catholici nominis laudem retinere, aut ullo modo prodesse causae sanctissimae nobilissimaeque posse, quam tuendam ornandamque susceperunt. — Iam vero hoc Nos summopere optantes, ut ad sanitatem redeant quicumque erraverint, et obsequium sacrorum Antistitum in omnium animis penitus inhaereat, Apostolicam benedictionem, tibi, Venerabilis Frater, cunctoque Clero et populo tuo, paternae benevolentiae et caritatis testem, in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Decembris MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILIBUS FRATRIBUS

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS HIBERNIAE [1].

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Etsi cunctas et singulas partes Dominici gregis, cuius credita Nobis custodia est, paterno amplectamur caritatis affectu; ad eas tamen potissimum cura fertur et cogitatio Nostra, quas in aliquo esse incommodo perspicimus. Scilicet in Nobis experimur, quod a natura parentibus inditum est, ut prae ceteris eos foveant curentque liberos, quos aliqua calamitas perculit. Quam ob rem singulari benevolentia semper dileximus catholicos ex Hibernia variis et diuturnis casibus vehementer exercitos: multoque cariores habere consuevimus, quod mirae fuerunt in patiendo constantiae, nec ulla vis aerumnarum ad labefactandam minuendamve apud eos avitam religionem valuit.

[1] Transmissa ad singulos.

Quae monuimus eos non semel, quaeque postremo hoc tempore decrevimus, ideo decrevimus et monuimus, quod ea hinc cum veritate iustitiaque congruere, illinc profutura videbamus ipsis rebus vestris: neque enim Noster erga vos animus ferre potest, ut caussae pro qua contendit Hibernia noceatur quidquam, admiscendo quod possit iure reprehendi. Iamvero quo testatior haec Nostra in Hibernos voluntas sit, munera istuc mittimus, quorum pars est in vestibus, vasis et ornamentis, quae in sacra supellectile continentur; eaque Cathedralibus Hiberniae Ecclesiis destinamus, quo splendidior sit decor Domus Dei et divini cultus; pars alia minoribus donariis constat, quae Nosmetipsi benedictione lustravimus, eademque veluti instrumenta sunt ad singulorum pietatem fovendam, quibus munerari privatos volumus, prout explicatius significandum tibi curabimus. Non dubitamus, quin vel hinc magis magisque appareat, paternam in Hibernos caritatem Nostram permansisse semper eamdem. Qua quidem caritate sunt etiam futuri digniores, si docilem animum fidentemque Nobis gerere perrexerint, attenteque caverint eorum fallacias, qui consilia Nostra in deteriorem partem non dubitant interpretari, ut convellant, si fieri possit, spectatum illud in Ecclesiam catholicam obsequium, quod est in praecipuis Hibernorum laudibus ponendum, a patribus et maioribus, tamquam maxima et nobilissima hereditas acceptum.

Optima quaeque gratiae caelestis munera adprecantes tibi, Venerabilis Frater, Clero et populo cui praesides,

Hiberniaeque universae, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Decembris MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ET DILECTIS FILIIS
CHRISTIFIDELIBUS UNIVERSIS PACEM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS.

—

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Exeunte iam anno, cum natalem sacerdotii quinquagesimum, singulari munere beneficioque divino, incolumes egimus, sponte respicit mens Nostra spatium praeteritorum mensium, plurimumque totius huius intervalli recordatione delectatur. — Nec sane sine caussa: eventus enim, qui ad Nos privatim attinebat, idemque nec per se magnus, nec novitate mirabilis, studia tamen hominum inusitato modo commovit, tam perspicuis laetitiae signis, tot gratulationibus celebratus, ut nihil optari maius potuisset. — Quae res certe pergrata Nobis perque iucunda cecidit: sed quod in ea plurimi aestimamus, significatio voluntatum est, religionisque liberrime testata constantia.

Ille enim Nos undique salutantium concentus id aperte loquebatur, ex omnibus locis mentes atque animos in Iesu Christi Vicarium esse intentos: tot passim prementibus malis, in Apostolicam Sedem, velut in salutis perennem incorruptumque fontem, fidenter homines intueri: et quibuscumque in oris catholicum viget nomen, Ecclesiam romanam, omnium ecclesiarum matrem et magistram, coli observarique, ita ut aequum est, ardenti studio ac summa concordia. — His de caussis per superiores menses non semel in caelum suspeximus, Deo optimo atque immortali gratias acturi, quod et hanc Nobis vivendi usuram, et ea, quae commemorata sunt, curarum solatia benignissime tribuisset: per idemque tempus, cum sese occasio dedit, gratam voluntatem Nostram, in quos oportebat, declaravimus. Nunc vero extrema anni ac celebritatis renovare admonent accepti beneficii memoriam: atque illud peroptato contingit, ut Nobiscum in iterandis Deo gratiis Ecclesia tota consentiat. Simul vero expetit animus per has litteras publice testari, id quod facimus, quemadmodum tot obsequii, humanitatis, et amoris testimonia ad leniendas curas molestiasque Nostras consolatione non mediocri valuerunt, ita eorum et memoriam in Nobis et gratiam semper esse victuram. — Sed maius ac sanctius restat officium. In hac enim affectione animorum, romanum Pontificem alacritate insueta colere atque honorare gestientium, numen videmur nutumque Eius agnoscere, qui saepe solet atque unus potest magnorum principia bonorum ex minimis momentis elicere. Nimirum provi-

dentissimus Deus voluisse videtur, in tanto opinionum errore, excitare fidem, opportunitatemque praebere studiis vitae potioris in populo christiano revocandis. — Quamobrem hoc est reliqui, dare operam ut, bene positis initiis, bene cetera consequantur: enitendumque, ut et intelligantur consilia divina, et re ipsa perficiantur. Tunc denique obsequium in Apostolicam Sedem plene erit cumulateque perfectum, si cum virtutum christianarum laude coniunctum ad salutem conducat animorum: qui fructus est unice expetendus perpetuoque mansurus.

Ex hoc summo Apostolici muneris gradu, in quo Nos Dei benignitas locavit, patrocinium veritatis saepenumero, ut oportuit, suscepimus, conatique sumus ea potissimum doctrinae capita exponere, quae maxime opportuna eque re publica viderentur esse, ut quisque, veritate perspecta, pestiferos errorum afflatus, vigilando cavendoque, defugeret. Nunc vero, uti liberos suos amantissimus parens, sic Nos alloqui christianos universos volumus, familiarique sermone hortari singulos ad vitam sancte instituendam. Nam omnino ad christianum nomen, praeter fidei professionem, necessariae sunt christianarum artes exercitationesque virtutum; ex quibus non modo pendet sempiterna salus animorum, sed etiam germana prosperitas et firma tranquillitas convictus humani et societatis. — Iamvero si quaeritur qua passim ratione vita degatur, nemo est quin videat, valde ab evangelicis praeceptis publicos mores privatosque discrepare. Nimis apte cadere in hanc

aetatem videtur illa Ioannis Apostoli sententia, *omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae* [1]. Videlicet plerique, unde orti, quo vocentur, obliti, curas habent cogitationesque omnes in haec imbecilla et fluxa bona defixas: invita natura, perturbatoque ordine, iis rebus sua voluntate serviunt, in quas dominari hominem ratio ipsa clamat oportere. — Appetentiae commodorum et deliciarum comitari proclive est cupiditatem rerum ad illa adipiscenda idonearum. Hinc effrenata pecuniae aviditas, quae efficit caecos quos complexa est, et ad explendum quod exoptat inflammata rapitur, nullo saepe aequi iniqui discrimine, nec raro cum alienae inopiae insolenti fastidio. Ita plurimi, quorum circumfluit vita divitiis, fraternitatis nomen cum multitudine usurpant, quam intimis sensibus superbe contemnunt. Similique modo elatus superbia animus non legi subesse ulli, nec ullam vereri potestatem conatur: merum amorem sui libertatem appellat. *Tamquam pullum onagri se liberum natum putat* [2]. — Accedunt vitiorum illecebrae ac perniciosa invitamenta peccandi: ludos scenicos intelligimus impie ac licenter apparatos: volumina atque ephemeridas ludificandae virtuti, honestandae turpidini composita; artes ipsas, ad usum vitae honestamque oblectationem animi inventas, lenocinia cupiditatum ministrare iussas. Nec licet sine metu futura prospicere, quia nova malorum semina continenter velut in sinum congeruntur ado-

[1] I Ep. II. 16.
[2] Iob. XI, 12.

lescentis aetatis. Nostis morem scholarum publicarum: nihil in eis relinquitur ecclesiasticae auctoritati loci: et quo tempore maxime oporteret tenerrimos animos ad officia christiana sedulo studioseque fingere, tum religionis praecepta plerumque silent. Grandiores natu periculum adeunt etiam maius, scilicet a vitio doctrinae: quae saepe est eiusmodi, ut non ad imbuendam cognitione veri, sed potius ad infatuandam valeat fallacia sententiarum iuventutem. In disciplinis enim tradendis permulti philosophari malunt solo rationis magisterio, omnino fide divina posthabita: quo firmamento maximo uberrimoque lumine remoto, in multis labuntur, nec vera cernunt. Eorum illa sunt, omnia, quae in hoc mundo sint, esse corporea: hominum et pecudum easdem esse origines similemque naturam: nec desunt qui de ipso summo dominatore rerum, ac mundi opifice Deo dubitent, sit necne sit, vel in eius natura errent, ethnicorum more, deterrime. Hinc demutari necesse est ipsam speciem formamque virtutis, iuris, officii. Ita quidem, ut dum rationis principatum gloriose praedicant, ingeniique subtilitatem magnificentius efferunt, quam par est, debitas superbiae poenas rerum maximarum ignoratione luant. — Corrupto opinionibus animo, simul insidet tamquam in venis medullisque corruptela morum; eaque sanari in hoc genere hominum sine summa difficultate non potest, propterea quod ex una parte opiniones vitiosae adulterant iudicium honestatis, ex altera lumen abest fidei christianae, quae omnis est principium ac fundamentum iustitiae.

Ex eiusmodi caussis quantas hominum societas calamitates contraxerit, quotidie oculis quodammodo contemplamur. Venena doctrinarum proclivi cursu in rationem vitae resque publicas pervasere: *rationalismus, materialismus, atheismus* peperere *socialismum, communismum, nihilismum:* tetras quidem funestasque pestes, sed quas ex iis principiis ingenerari non modo consentaneum erat, sed prope necessarium. — Sane, si religio catholica impune reiicitur, cuius origo divina tam illustribus est perspicua signis, quidni quaelibet religionis forma reiiciatur, quibus tales assentiendi notas abesse liquet? Si animus non est a corpore natura distinctus, propterea que si, intereunte corpore, spes aevi beati aeternique nulla superest, quid erit caussae quamobrem labores molestiaeque in eo suscipiantur, ut appetitus obedientes fiant rationi? Summum hominis erit positum bonum in fruendis vitae commodis potiundisque voluptatibus. Cumque nemo unus sit, quin ad beate vivendum ipsius naturae admonitu impulsuque feratur, iure quisque detraxerit quod cuique possit, ut aliorum spoliis facultatem quaerat beate vivendi. Nec potestas ulla frenos est habitura tantos, ut satis cohibere incitatas cupiditates queat; consequens enim est, ut vis frangatur legum et omnis debilitetur auctoritas, si summa atque aeterna ratio iubentis vetantis Dei repudietur. Ita perturbari funditus necesse est civilem hominum societatem, inexplebili cupiditate ad perenne certamen impellente singulos, contendentibus aliis quaesita tueri, aliis concupita adipisci.

Huc ferme nostra inclinat aetas. — Est tamen, quo consolari conspectum praesentium malorum, animosque erigere spe meliore possimus. Deus enim *creavit ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum* [1]. Sed sicut omnis hic mundus non aliter conservari nisi numine providentiaque eius potest, cuius est nutu conditus, ita pariter sanari homines sola eius virtute queunt, cuius beneficio sunt ab interitu ad vitam revocati. Nam humanum genus semel quidem Iesus Christus profuso sanguine redemit, sed perennis ac perpetua est virtus tanti operis tantique muneris: *et non est in alio aliquo salus* [2]. Quare qui cupiditatum popularium crescentem flammam nituntur opposita legum extinguere, ii quidem pro iustitia contendunt: sed intelligant, nullo se fructu aut certe perexiguo laborem consumpturos, quamdiu obstinaverint animo respuere virtutem Evangelii, Ecclesiaeque nolle advocatam operam. In hoc posita malorum sanatio est, ut, mutatis consiliis, et privatim et publice remigretur ad Iesum Christum, christianamque vivendi viam.

Iamvero totius vitae christianae summa et caput est, non indulgere corruptis saeculi moribus, sed repugnare ac resistere constanter oportere. Id *auctoris fidei et consummatoris* Iesu omnia dicta et facta, leges et instituta, vita et mors declarant. Igitur quantumvis pravitate naturae et morum longe trahamur alio, curramus oportet

[1] Sap. I. 14.
[2] Act. IV, 12.

ad propositum nobis certamen armati et parati eodem animo eisdemque armis, quibus Ille, qui *proposito sibi gaudio sustinuit crucem*[1]. Proptereaque hoc primum videant homines atque intelligant quam sit a professione christiani nominis alienum persequi, uti mos est, cuiusquemodi voluptates, horrere comites virtutis labores, nihilque recusare sibi, quod sensibus suaviter delicateque blandiatur. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*[2]: ita ut consequens sit, Christi non esse, in quibus non exercitatio sit consuetudoque patiendi cum aspernatione mollium et delicatarum voluptatum. Revixit enim homo infinita Dei bonitate in spem bonorum immortalium, unde exciderat, sed ea consequi non potest, nisi ipsis Christi vestigiis ingredi conetur, et cogitatione exemplorum eius mentem suam moresque conformet. Itaque non consilium, sed officium, neque eorum dumtaxat, qui perfectius vitae optaverit genus, sed plane omnium est, *mortificationem Iesu in corpore circumferre*[3]. — Ipsa naturae lex, quae iubet hominem cum virtute vivere, qui secus posset salva consistere? Deletur enim sacro baptismate peccatum, quod est nascendo contractum, sed stirpes distortae ac pravae, quas peccatum insevit, nequaquam tolluntur. Pars hominis ea, quae expers rationis est, etsi resistentibus viriliterque per Iesu Christi gratiam repu-

[1] Heb. XII, 1, 2.
[2] Galat. V, 24.
[3] II. Cor. IV, 10.

gnantibus nocere non possit, tamen cum ratione de imperio pugnat, omnem animi statum perturbat, voluntatemque tyrannice a virtute detorquet tanta vi, ut nec vitia fugere nec officia servata sine quotidiana dimicatione possimus. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta synodus fatetur ac sentit, quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus, non valet; quinimo qui legitime certaverit coronabitur*[1]. — Est in hoc certamine gradus fortitudinis, quo virtus non perveniat nisi excellens, eorum videlicet, qui in profligandis motibus a ratione aversis eo usque profecerunt, ut caelestem in terris vitam agere propemodum videantur. Esto, paucorum sit tanta praestantia: sed, quod ipsa philosophia veterum praecipiebat, domitas habere cupiditates nemo non debet: idque ii maiore etiam studio, quibus rerum mortalium quotidianus usus irritamenta maiora suppeditat: nisi qui stulte putet, minus esse vigilandum ubi praesentius imminet discrimen, aut, qui gravius aegrotant, eos minus egere medicina. — Is vero, qui in eiusmodi conflictu suscipitur, labor magnis compensatur, praeter caelestia atque immortalia, bonis: in primis quod isto modo, sedata perturbatione partium, plurimum restituitur naturae de dignitate pristina. Hac enim lege est atque hoc ordine generatus homo, ut animus imperaret corpori, appetitus mente consilioque regerentur: eoque fit, non de-

[1] Conc. Trid. Sess. v, can. 5.

dere se pessimis dominis cupiditatibus, praestantissima sit maximeque optanda libertas. — Praeterea in ipsa humani generis societate non apparet quid expectari ab homine sine hac animi affectione possit. Utrumne futurus est ad bene merendum propensus, qui facienda. fugienda, metiri amore sui consueverit? Non magnanimus quisquam esse potest, non beneficus, non misericors, non abstinens, qui non se ipse vincere didicerit, atque humana omnia prae virtute contemnere. — Nec silebimus, id omnino videri divino provisum consilio, ut nulla afferri salus hominibus, nisi cum contentione et dolore queat. Revera si Deus liberationem culpae et errati veniam hominum generi dedit, hac lege dedit, ut Unigenitus suus poenas sibi debitas iustasque persolveret. Iustitiaeque divinae cum Iesus Christus satisfacere alia atque alia ratione potuisset, maluit tamen per summos cruciatus profusa vita satisfacere. Atque ita alumnis ac sectatoribus suis hanc legem imposuit suo cruore sancitam, ut eorum esset vita cum morum ac temporum vitiis perpetua certatio. Quid Apostolos ad imbuendum veritate mundum fecit invictos, quid martyres innumerabiles in fidei christianae cruento testimonio roboravit, nisi affectio animi illi legi obtemperans sine timore? Nec alia via ire perrexerunt, quotquot curae fuit vivere more christiano, sibique virtute consulere: neque igitur alia nobis eundum, si consultum saluti volumus vel nostrae singulorum, vel communi. Itaque, dominante procacitate libidinum, tueri se quemque viriliter necesse est a blandimentis luxuriae: cumque pas-

sim sit in fruendis opibus et copiis tam insolens ostentatio, muniendus animus est contra divitiarum sumptuosas illecebras, ne his inhians animus, quae appellantur bona, quae nec satiare eum possunt, ac brevi sunt dilapsura, thesaurum amittat non deficientem in caelis. Denique illud etiam dolendum, quod opiniones atque exempla perniciosa tanto opere ad molliendos animos valuerunt ut plurimos iam prope pudeat nominis vitaeque christianae: quod quidem aut perditae nequitiae est, aut segnitiae inertissimae. Utrumque detestabile, utrumque tale, ut nullum homini malum maius. Quaenam enim reliqua salus esset, aut qua spe niterentur homines, si gloriari in nomine Iesu Christi desierint, si vitam ex praeceptis evangelicis constanter aperteque agere recusarint? Vulgo queruntur viris fortibus sterile saeculum. Revocentur christiani mores: simul erit gravitas et constantia ingeniis restituta.

Sed tantorum magnitudini varietatiqae officiorum virtus hominum par esse sola non potest. Quo modo corpori, ut alatur, panem quotidianum, sic animae, ut ad virtutem confirmetur, nervos atque robur impetrare divinitus necesse est. Quare communis illa conditio lexque vitae, quam in perpetua quadam diximus dimicatione consistere, obsecrandi Deum habet adiunctam necessitatem. Etenim, quod est vere ab Augustino venusteque dictum, transcendit pia precatio intervalla mundi, divinamque devocat e caelo misericordiam. Contra cupiditatum turbidos motus, contra malorum daemonum insidias, ne circumventi

in fraudem inducamur, adiumenta petere atque auxilia caelestia iubemur oraculo divino, *orate ut non intretis in tentationem* [1]. Quanto id necessarium magis, si utilem dare operam alienae quoque saluti volumus? Christus Dominus, unigenitus Filius Dei, fons omnis gratiae et virtutis, quod verbis praecepit, ipse prior demonstravit exemplo: *erat pernoctans in oratione Dei* [2]: sacrificioque proximus *prolixius orabat* [3]. — Profecto longe minus esset naturae extimescenda fragilitas, nec languore mores desidiaque diffluerent, si divinum istud praeceptum minus iaceret incuria ac prope fastidio intermissum. Est enim exorabilis Deus, gratificari vult hominibus, aperte pollicitus, sua se munera large copioseque petentibus daturum. Quin etiam invitat ipsemet petere, ac fere lacessit amantissimis verbis: *ego dico vobis, petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis* [4]. Quod ut confidenter ac familiariter facere ne vereamur, maiestatem numinis sui similitudine atque imagine temperat parentis suavissimi cui nihil potius, quam caritas liberorum. *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se?* [5] — Quae qui cogitaverit, non nimium mirabitur si efficientia precum humanarum Ioanni quidem

[1] Matth. XXVI, 41.
[2] Luc. VI, 12.
[3] Luc. XXII, 43.
[4] Luc. XI, 9.
[5] Matth. VII, 11.

Chrysostomo videatur tanta, ut cum ipsa potentia Dei comparari illam putet posse. Propterea quod sicut Deus universitatem rerum verbo creavit, sic homo impetrat, orando, quae velit. Nihil est rite adhibitis precibus impetrabilius, quia insunt in eis quaedam velut moventia, quibus plâcari se Deus atque exorari facile patiatur. Nam inter orandum sevocamus ab rebus mortalibus animum, atque unius Dei cogitatione suspensi, conscientia tenemur infirmitatis humanae: ob eamque rem in bonitate et amplexu parentis nostri acquiescimus, in virtute conditoris perfugium quaerimus. Adire insistimus auctorem omnium bonorum, tamquam spectari ab eo velimus aegrum animum, imbecillas vires, inopiam nostram: plenique spe, tutelam atque opem eius imploramus, qui aegrotationum medicinam, infirmitatis miseriaeque solatia praebere solus potest. Tali habitu animi modeste de se, ut oportet, submisseque iudicantis, mire flectitur Deus ad clementiam, quia quemadmodum superbis resistit, ita humilibus *dat gratiam* [1]. — Sancta igitur sit apud omnes consuetudo precandi: mens, animus, vox precentur: unaque simul ratio vivendi consentiat, ut videlicet per legum divinarum custodiam perennis ad Deum ascensus vita nostra videatur.

Quemadmodum virtutes ceterae, ita haec etiam, de qua loquimur, gignitur et sustentatur fide divina. Deus enim auctor est, quae sint homini vera atque unice per

[1] I Petr. v, 5.

se expetenda bona: itemque infinitam Dei bonitatem, et Iesu redemptoris merita eodem auctore cognovimus. Sed vicissim pia precandi consuetudine nihil est ad alendam augendamque fidem aptius. Cuius quidem virtutis, in plerisque debilitatae, in multis extinctae, apparet quanta sit hoc tempore necessitas. Illa enim est maxime, unde non modo vitae privatorum petenda correctio est, sed etiam earum rerüm iudicium expectandum, quarum conflictio quietas et securas esse civitates non sinit. Si aestuat multitudo immodicae libertatis siti, si erumpunt undique proletariorum minaces fremitus, si inhumana beatiorum cupiditas numquam se satis consecutam putat, et si quae sunt alia generis eiusdem incommoda, his profecto, quod alias uberius exposuimus, nihil subvenire melius aut certius, quam fides christiana, potest.

Locus admonet, ad vos cogitationem orationemque convertere, quotquot Deus ad sua dispensanda mysteria, collata divinitus potestate, adiutores adscivit. Si caussae indagantur privatae publicaeque salutis, dubitandum non est, vitam moresque clericorum posse plurimum in utramque partem. — Meminerint, igitur, se *lucem mundi* a Iesu Christo appellatos, quod *luminis instar universum orbem illustrantis, sacerdotis animam splendescere oportet* [1]. Lumen doctrinae, neque illud vulgare, in sacerdote requiritur, quia muneris eius est implere sapientia ceteros, evellere errores, ducem esse multitudini per itinera vitae ancipitia et

[1] S. Io. Crysost. De Sac. l. 3. c. 1.

lubrica. In primis autem vitae innocentiam comitem doctrina desiderat, praesertim quod in emendatione hominum longe plus exemplo, quam peroratione proficitur. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona* [1]. Cuius divinae sententiae ea profecto vis est, talem esse in sacerdotibus perfectionem oportere absolutionemque virtutis, ut se tamquam speculum praebere intuentibus queant. *Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt: cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex eisque sumunt, quod imitentur* [2]. Quare si omnes caveant vigilanter oportet, ne ad vitiorum scopulos adhaerescant, neu consectentur res caducas appetitione nimia, apparet quando id efficere sacerdotes religiosius et constantius debeant. — Nisi quod nec satis est non servire cupiditatibus: illud etiam sanctitudo dignitatis postulat ut sibimeptipsis acriter imperare assuescant, itemque omnes animi vires, praesertim intelligentiam ac voluntatem, quae summum in homine obtinent locum, in obsequium Christi cogere. *Qui relinquere universa disponis, te quoque inter reliquenda connumerare memento imo maxime et principaliter abnega temetipsum* [3]. Soluto ac libero ab omni cupidine animo, tum denique alacre et

[1] Matth. v, 16.
[2] Conc. Trid. Sess. XXII, c. 1, de Ref.
[3] S. Bernard. Declam. c. 1.

generosum studium concipient salutis alienae, sine quo nec satis consulerent suae. *Unus erit de subditis quaestus una pompa, unaque voluptas, si quomodo possent parare plebem perfectam. Id omnibus satagent etiam multa contritione cordis et corporis, in labore et aerumna, in fame et siti, in frigore et nuditate* [1]. Cuiusmodi virtutem semper experrectam et ad ardua quaelibet, proximorum gratiâ, impavidam mire fovet et corroborat bonorum caelestium contemplatio frequens. In qua sane quanto plus posuerint operae, tanto liquidius magnitudinem munerum sacerdotalium et excellentiam et sanctitatem intelligent. Iudicabunt illud quam sit miserum, tot homines per Iesum Christum redemptos, ruere tamen in interitum sempiternum: divinaeque cogitatione naturae in amorem Dei et intendent sese vehementius et ceteros excitabunt.

Est eiusmodi cursus ad salutem communem certissimus. In quo tamen magnopere cavendum, ne qui magnitutudine difficultatum terreatur, aut propter diuturnitatem malorum de sanatione desperet. Dei aequissima immutabilisque iustitia et rectae factis praemia reservat et supplicia peccatis. Gentes vero et nationes, quoniam ultra mortalis aevi spatium propagari non possunt, debitam factis mercedem ferant in terris necesse est. Utique non est novum, successus prosperos peccanti civitati contingere: idque iusto Dei consilio, qui actiones laudabiles, neque enim est ulla gens omni laude vacans, eiusmodi

[1] S. Bernard. Lib. IV, de Consid. c. 2.

beneficiorum genere interdum remuneratur: quod in populo romano iudicat Augustinus contigisse. Rata tamen lex est, ad prosperam fortunam omnino plurimum interesse quemadmodum publice virtus, ac nominatim ea, quae parens est ceterarum, iustitia colatur. *Iustitia elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum* [1]. — Nihil attinet considerationem hoc loco intendere in victricia facinora: nec exquirere, ullane imperia, salvis rebus suis et ad voluntatem fluentibus, gerant tamen velut in imis visceribus inclusum semen miseriarum. Unam rem intelligi volumus, cuius rei plena est exemplorum historia, iniuste facta aliquando esse luenda, eoque gravius, quo fuerint diuturniora delicta. Nos quidem magnopere illa Pauli Apostoli sententia consolatur, *Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei* [2]. Videlicet arcano divinae providentiae nutu sic rerum mortalium regitur gubernaturque cursus, ut, quaecumque hominibus accidunt, omnia Dei ipsius gloriae asserviant, itemque sint eorum saluti, qui Iesum Christum vere et ex animo sequuntur, conducibiiia. Horum vero mater et altrix, dux et custos est Ecclesia: quae idcirco cum Christo sponso suo sicut intima atque incommutabili caritate copulatur, ita coniungitur societate certaminum et communione victoriae. Nihil igitur anxii Ecclesiae caussa sumus, nec esse possumus: sed valde pertimescimus de salute plurimorum, qui, Ec-

[1] Prov. XIV, 34.
[2] I Cor. III, 22-23.

clesia superbe posthabita, errore vario in interitum aguntur: angimur earum caussà civitatum, quas spectare cogimur aversas a Deo, et summo rerum omnium discrimini stolida securitate indormientes. *Nihil Ecclesiae par est.... Quot Ecclesiam oppugnarunt, ipsique perierunt? Ecclesia vero caelos transcendit. Talis est Ecclesiae magnitudo: vincit impugnata, insidiis appetita superat..... luctatur nec prosternitur, pugilatu certat, nec vincitur* [1]. Neque solum non vincitur, sed illam, quam perenni haustu a Deo ipso derivat, emendatricem naturae et efficientem salutis virtutem conservat integram, nec ulla temporum permutatione mutabilem. Quae virtus si senescentem vitiis et perditum superstitione mundum divinitus liberavit, quidni devium revocabit? Conticescant aliquando suspiciones ac simultates: amotisque impedimentis, esto iurium suorum ubique compos Ecclesia, cuius est tueri ac propagare parta per Iesum Christum beneficia. Tunc enimvero licebit experiendo cognoscere, quo lux Evangelii pertineat, quid virtus Christi redemptoris possit. — Hic annus, qui est in exitu, non pauca, ut initio diximus, reviviscentis fidei indicia praetulit. Utinam istiusmodi velut scintilla crescat in vehementem flammam, quae, absumptis vitiorum radicibus, viam celeriter expediat ad renovandos mores et salutaria capessenda. Nos quidem mystico Ecclesiae navigio tam adversa tempestate praepositi, mentem animumque in divinum gubernatorem defigimus, qui clavum te-

[1] S. Io. Chrys. Or. post. Eutrop. captum habita n. 1.

nens sedet non visus in puppi. Vides, Domine, ut undique eruperint venti, ut mare inhorrescat, magna vi excitatis fluctibus. Impera, quaesumus, qui solus potes, et ventis et mari. Redde hominum generi pacem veri nominis, quam mundus dare non potest, tranquillitatem ordinis. Scilicet munere impulsuque tuo referant sese homines ad ordinem debitum, restituta, ut oportet, pietate in Deum, iustitia et caritate in proximos, temperantia in semetipsos, domitis ratione cupiditatibus. Adveniat regnum tuum, tibique subesse ac servire ii quoque intelligant oportere, qui veritatem et salutem, te procul, vano labore exquirunt. Inest in legibus tuis aequitas ac lenitudo paterna: ad easque servandas ultro nobis ipse suppeditas expeditam virtute tua facultatem. Militia est vita hominis super terram, sed ipse *certamen inspectas, et adiuvas hominem ut vincat, et deficientem sublevas, et vincentem coronas* [1].

Atque his sensibus erecto in spem laetam firmamque animo, munerum caelestium auspicem et benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque catholico universo Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum ipso die natali D. N. Iesu MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

[1] Cf. S. Aug. in Ps. 32.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS

ABBATIBUS ET PRIORIBUS

MONASTERIORUM ORDINIS S. BENEDICTI IN AUSTRIA.

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gratulatio unanimis quae a vobis, dilecti filii, et a religiosis sodalibus quibus praeestis Nobis facta est, quod annum ab inito sacerdotio quinquagesimum sospites impleverimus, haud mediocre Nobis attulit solatium et gaudium. Atque eo iucundius Nos affecit ea egregiae voluntatis significatio, quod ab Ordine proficisceretur diu de Ecclesia multumque merito: qui ad expoliendos gentium mores civili cultu et humanitatis artibus cum religione coniunctis utilem ac praestantem operam contulit. Quare amoris testimonia per vos exhibita grata recordatione prosequimur, et digna agnoscimus quibus parem rependamus paternae caritatis vicem. Ex quo fit ut Nobis gaudeamus iampridem cogitationes Nostras fuisse conversas ad provehendas rationes Ordinis vestri, simulque optemus

illud ubique penes vos induci, sine quo id quod gessimus perfectum ac frugiferum esse non potest. Nostis scilicet, dilecti filii, restitutum a Nobis in Urbe fuisse antiquum S. Anselmi collegium, ubi Ordinis vestri alumni sincerum haurirent Sancti Parentis sui spiritum, et prope hanc veritatis Cathedram sacras disciplinas docerentur. Proinde hoc opus non modo eo spectabat ut solidae doctrinae laus, qua vester Ordo ab exordiis suis iure gloriatur, eidem illibata maneret; sed eo praecipue ut alumni perciperent penitus atque incorruptam servare assuescerent eam vitae disciplinam, quae ab immortali Ordinis conditore tradita est. Iam vero ut hoc opus finem suum attingat, necesse est parem, imo eamdem in Monasteriis omnibus vigere disciplinam, ita ut nihil in iis differat, nihil intersit. Secus alumni, quos istinc etiam missum iri confidimus, quum ad suos erunt redituri, diversum nacti spiritum vitaeque genus non se in suas recipi familias autumabunt, sed advenarum instar versari inter alienissimos. Gravior praeterea Nos urget ratio, ut curemus ea tolli discrimina, quae efficiunt ne monasteria vestra paribus regantur institutis. Nam dum ante oculos posita habemus bona multa, quae in Austriaco Imperio praestantur a viris lectissimis vestri Ordinis in curanda animarum salute, in iuvenilis aetatis institutione, in scientiis provehendis rerum divinarum et humanarum, cernimus simul illud desiderari quod ad augendas singulorum et universorum vires plurimum confert, nempe ut monasteria eiusdem regionis sociata sint communi vinculo unius Congre-

gationis, quae ea suo complexu contineat. Atqui eiusmodi coniunctio semper habita est tutissimum monasticae vitae firmamentum, eaque fructus gignit uberrimos in aliis Ordinis monasteriis, quae in Germania, in Hungaria, in Anglia, in Italia, in Helvetia et in transmarinis regionibus sita sunt. Scitum est autem, familias plures in Congregationem non posse coalescere nisi par eademque in omnibus vitae disciplina servetur. Quamobrem ut istuc curas vestras, dilecti filii, Nobiscum intendatis necessum esse prorsus, nedum magnopere expedire, censemus. Vestrum enim est prae ceteris viam et rationem agnoscere, qua communis disciplina in singula Austriae monasteria possit induci, quippe experientia edocti quid res et tempus postulent, optime perspicitis quomodo sancta Ordinis regula locorum ac temporum conditioni adtemperari valeat, quin de illius natura et vi quidpiam detrahatur. Nos autem malumus auctoritate Nostra probare quod optimum factu prudentia vestra censuerit, quam quod Nobis placuerit pro potestate decernere. Statuimus itaque ut singuli et universi Abbates ac Priores monasteriorum Ordinis S. Benedicti, quae in Austria sunt, eorumque Vicarii Salisburgum conveniant die XXVIII Martii anno MDCCCLXXXIX aliisque ab eo dicendis quem conventui praesidem constituerimus, ut collatis consiliis deliberationem habeant de Congregationibus instituendis, deque novis condendis constitutionibus, queis omnia regantur Austriae monasteria, atque earum formam ad Nos transmittant maioris partis coëuntium suffragiis probatam. Quum vero

ea scriptio illuc spectare debeat ut magis magisque in domibus vestris regularis disciplina floreat, vix est ut vos moneamus, lucubrationem vestram iis principiis esse informandam, quibus legiferi Patris vestri regula nititur. Tales itaque sunto Constitutiones novae, ut perfectior atque expeditior per eas fiat observantia votorum, quibus vos Deo devinxit religiosa professio. Imprimis quum nihil magis obsit paupertati quam privati peculii habendi facultas, naviter cavere oportet, ne haec mala labes domicilia monachorum inficiat. Nec praetereunda diligens officiorum descriptio quae ex obedientiae virtute manant, ne segnis incuria in levioribus sensim ad lapsus graviores inducat. Muniendum pariter praesidiis omnibus votum stabilitatis, cuius ope maxime sodales in unam veri nominis familiam coëunt: proinde unus devinciat omnes fraternae caritatis nexus, par sit omnium vivendi agendique ratio, communi omnes utantur mensa, coniunctim precibus, meditationi, spirituali lectioni vacent, simulque ad laxandum a laboribus animum conveniant. Quo perfectior autem familiae imago sit, extrariis famulis aditus ne pateat, ac fratres laici sic admittantur, ut simplicibus obstricti votis spirituali subsint magistro. Neque vero opus est ut vos moneamus, nil tolerandum esse quo turbetur solitudo ac silentium, per quae potissime perficitur morum conversio, adeoque clausurae leges, quibus ea quasi tuto vallo saepiuntur, rigide esse servandas. Denique summa Patrum qui in unum convenerint cura sit, ut religiosi sodales nihil antiquius habeant, quam ut pie riteque sacris ope-

rentur, neque a laudibus agendis Deo in Odeo communi unquam abstineant. Sane si ex hisce principiis novae Constitutiones ducantur, iisque monachi religiose paruerint, non dubitamus quin illustrius Ordini decus sit accessurum, et utiliora fidelibus futura sint exteriora ministeria, quae monachi exercent. Ampliora enim gratiarum subsidia eorum laboribus impertiet Deus, et saeculares homines dociliores illis praebebunt aures, quorum virtutem solidam clarius enitere suspexerint.

Nos interim, dilecti filii, certa fiducia nitimur fore, ut paternas Nostras voces excipiatis volentes libentesque, ac desideriis Nostris obsequi alacriter connitamini: hinc divinae benignitatis auspicem Apostolicam benedictionem Vobis et religiosis familiis, quibus praeestis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx Decembris MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

LEO PP. XIII.

APPENDIX

PRAECIPUI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE PP. XIII

HABITI SERMONES VERTENTE ANNO MDCCCLXXXVIII

QUINQUAGESIMO AB INITO SACERDOTIO.

I.

Die XVI Decembris MDCCCLXXXVII [1]
ad Principem de Liechtenstein Austriae Imperatoris Hungariae Regis extraordinarium Legatum.

La noble mission confiée à Votre Altesse, et qu'elle vient d'accomplir en ce moment, Nous cause la plus vive satisfaction et joie. Nous connaissons l'âme hautement religieuse de Sa Majesté l'Empereur d'Autriche, Roi d'Hongrie, et les pieux sentiments qui animent les membres de son auguste famille. — Dès les débuts de Notre Pontificat, Sa Majesté Nous a toujours témoigné sa piété filiale et son dévouement sincère au Saint-Siége Apostolique. Aujourd'hui, à l'occasion de Notre Jubilé sacerdotal, Elle veut bien Nous en donner une preuve nouvelle par l'offre

[1] Haec et quinque aliae insequentes allocutiones, quae superioris anni actis fuissent inserendae, hic referuntur ne quid desit ex iis quae praeclara amoris et obsequii testimonia a Summo Pontifice quinquagesimum Sacerdotii sui natalem celebrante accepta respiciunt.

des dons précieux, que Votre Altesse est chargée de Nous remettre en son nom et au nom de la Maison Impériale. Ces dons sont dignes d'un Empereur qui a déjà mérité le titre de Roi Apostolique; titre glorieux, auquel se rattache la défense de l'Eglise et de son Chef Suprême. Quant à Nous, Nous serons toujours heureux de profiter de toute occasion pour donner à Sa Majesté des preuves de Notre amitié et de Notre paternelle affection. En attendant, Nous prions Votre Altesse d'être interprète auprès de Sa Majesté des sentiments de Notre reconnaissance, et de Lui exprimer les vœux que Nous formons pour sa prospérité et son bonheur. Comme gage de ces sentiments, Nous accordons à Lui et à tous les membres de la famille Impériale la bénédiction Apostolique.

II.

Die XVII Decembris
ad Ducem de Norfolk magnae Britanniae
Hiberniae aliarumque regionum Reginae
Imperatricis Indiarum extraordinarium Legatum.

Ce fut avec bonheur, il y a six mois, que Nous Nous fîmes représenter à Londres par un envoyé spécial, chargé d'offrir, en Notre nom, à Sa Majesté la Reine d'Angleterre, Nos félicitations pour le cinquantième anniversaire de son glorieux avénement au trône. Non moins grande est Notre joie, aujourd'hui, en recevant de vous, Monsieur le Duc, les félicitations et les compliments de la Reine, votre Souveraine, à l'occasion de Notre Jubilé sacerdotal. C'est avec reconnaissance que Nous agréons la lettre de Sa Majesté, et Nous la remercions du choix qu'elle a fait de votre illustre personne qui, à tant de titres, Nous est si chère, pour Nous la remettre en son nom. — Nous voulons de plus, en ce jour particulièrement propice, attester publiquement Notre grande satisfaction pour la liberté dont jouit la religion catholique dans tous les vastes domaines de l'empire Britannique, et qui lui permet de prospérer de plus en plus. — Cet heureux résultat, Nous aimons à le reconnaître, est dû à la haute sagesse de Sa Majesté, et à l'esprit éclairé de son gouvernement.

Veuillez, Monsieur le Duc, interpréter Nos sentiments auprès de Sa Majesté la Reine, pour laquelle Nous formons les vœux les plus ardents de gloire et de prosperité.

III.

Die XXVI Decembris ad illustrem virum Ezechielem Balmaceda Chiliensis Reipublicae Praesidis extraordinarium Legatum.

Accogliamo colla più viva soddisfazione le eloquenti parole che ci avete dirette; esse rivelano la nobiltà dei sentimenti ai quali vi siete inspirato nel compiere la straordinaria missione che vi fu affidata presso di Noi nella fausta circostanza del nostro sacerdotale Giubileo. — Riceviamo pure con sensi di speciale gratitudine la lettera autografa del signor Presidente della Repubblica Chilena e le felicitazioni, che Voi ci presentate a nome del Governo e del popolo Chileno: se sempre Noi abbiamo manifestato singolare interesse per ciò che riguarda i popoli e le nazioni d'America, dove viva ed ardente si mantiene la fede, egli è chiaro che non possiamo non interessarci anche più particolarmente all' illustre nazione Chilena, colla quale vivamente desideriamo di avere cordiali relazioni. — La Chiesa non desidera altro che la pace e la concordia; perciò l'opera sua consegue dovunque frutti ammirabili, e dovunque esercita salutare influenza non solo nella vita privata, ma anche nella pubblica e sociale delle nazioni. — Questi Nostri sentimenti, signor Ministro, manifestateli al Presidente della Repubblica ed al suo governo, non omettendo di esprimere loro la Nostra gratitudine per le felicitazioni e i voti che ci avete presentato in nome loro, gratitudine che proviamo anche in modo speciale per la scelta fatta della vostra persona, degnissima per tanti titoli, oltre a quello che vi dà la stretta parentela col prelodato signor Presidente. — Vogliate infine comunicare al Governo ed ai buoni nostri figli del Chilì l'Apostolica benedizione, che colla maggiore effusione di cuore ad essi impartiamo.

IV.

Die XXVII Decembris ad Marchionem de la Vega de Armijo Reginae Hispaniarum regnum regentis extraordinarium Legatum.

Nous accueillons avec la plus grande satisfaction les souhaits et les vœux que vous, Monsieur l'Ambassadeur chargé d'une mission spéciale, venez de Nous exprimer au nom de Sa Majesté la Reine Regente, votre auguste Souveraine. — Nous connaissions déjà les nobles et pieux sentiments de Sa Majesté envers Nous; et Votre Collegue, ici présent, qui dignement représente l'Espagne auprès du Saint-Siège, a eu souvent l'occasion de Nous les témoigner.

Monsieur l'Ambassadeur: les liens et les rapports, qui unissent le peuple Espagnol au Saint-Siège Apostolique et à Notre personne, sont si intimes, et sa foi si vive et profonde, qu'il n'y a pas lieu de s'étonner, si dans les solennelles démonstrations, qui dans tous les pays Nous sont faites, l'Espagne ne veut pas céder à nulle autre nation. — Il est bien consolant pour Nous de voir le merveilleux élan, si spontané et unanime, avec lequel le peuple Espagnol, uni à ses Evêques et à son clergé, s'apprête à célébrer avec éclat Notre Jubilé.

Mais Sa Majesté la Reine Regente a bien voulu rehausser cette démonstration, y prendre une noble et belle part, par la haute mission qu'Elle a confiée à votre illustre personne, et que vous venez d'accomplir si noblement.

Après les belles paroles que vous avez prononcées, avec les-

quelles vous avez si bien interprété les sentiments de Sa Majesté, il ne Nous reste que de vous prier, Monsieur l'Ambassadeur, d'exprimer a Sa Majesté toute Notre gratitude; de La remercier aussi des précieux dons qu'Elle Nous offre, et de Lui faire parvenir, comme gage de Notre paternelle affection, la bénédiction Apostolique, que Nous donnons avec effusion de cœur à Elle, à son royal enfant, et à tous les membres de son auguste famille.

V.

Die xxviii Decembris ad Ducem de Ursel Belgarum Regis extraordinarium Legatum.

Parmi les nations catholiques qui en ce moment célèbrent avec éclat Notre Jubilé sacerdotal il était juste que la Belgique occupât sa place d'honneur, et prît à ces fêtes une part spéciale. — Un double titre l'y autorisait: d'une part la foi vive et traditionnelle de ses aïeux toujours si profondément enracinée dans le cœur de ses populations; de l'autre le souvenir fidèle et affectueux qu'elle a voulu garder de Notre personne et du séjour, quoique lointain, que Nous y fîmes comme Nonce Apostolique. Sous l'empire de ce double sentiment la Belgique a donné, en cette occasion, libre essor à son amour et à sa piété filiale envers Nous, et a voulu Nous la témoigner avec une générosité et une grandeur d'âme qui a rempli Notre cœur de joie et de consolation.

A la joie que Nous causent ces démonstrations du peuple Belge vient s'ajouter celle que Nous donne aujourd'hui Sa Majesté le Roi Léopold II, en vous confiant, Monsieur le Duc, comme Envoyé Extraordinaire, la noble mission de Nous offrir, en son nom, ses félicitations et ses vœux. — Cette démarche de Sa Majesté Nous touche vivement, et Nous vous prions, Monsieur le Duc, de lui exprimer Notre gratitude, et les vœux ardents que Nous formons pour Sa prospérité. En même temps, du plus profond de Notre cœur, Nous accordons a Sa Majesté le Roi, à la famille Royale et à toute la nation Belge la bénédiction Apostolique.

VI.

Die xxx Decembris
ad perillustrem virum Ioannem Baptistam da Silva Ferrão de Carvalho Martens, Regis Lusitaniae penes Apostolicam Sedem Legatum cum liberis mandatis, extraordinaria et speciali Legatione fungentem.

C'est avec une satisfaction bien grande, Monsieur l'Ambassadeur, que Nous accueillons les éloquentes paroles que vous venez de Nous adresser. — Elles Nous montrent avec quelle noblesse et quelle élévation de sentiments vous avez su comprendre, et vous remplissez, en ce moment, la haute mission spéciale et extraordinaire que vous a confiée auprès de Nous votre auguste Souverain. Vous avez discerné le véritable motif pour lequel tous les cœurs catholiques trassaillent de joie à l'occasion de Notre Jubilé sacerdotal. — Oui, c'est à juste titre que vous attribuez cette joie et cet élan religieux aux bienfaits que l'Eglise catholique a répandus dans le monde et aux triomphes récents de son autorité morale. — Spectacle grandiose et digne d'admiration: l'Eglise, au milieu de difficultés et d'obstacles, obtient partout les plus heureux succès. Elle exerce son influence salutaire non seulement dans la vie privée, mais aussi dans la vie publique et sociale des nations. — Et cette influence l'Eglise la doit à la vitalité qui lui est essentielle et à la vertu divine qui réside en elle. Notre humble personne n'est ici qu'un faible instrument entre les mains de la Providence qui s'en sert pour réaliser ses miséricordieux desseins.

Ce que Nous avons affirmé avec vous, Monsieur l'Ambassadeur, trouve une application dans nos récentes négociations, dont

l'heureux résultat a été de voir accrue l'action bienfaisante de l'Eglise catholique au profit des populations de l'Inde, sans porter préjudice aux glorieuses traditions de la noble nation Portuguaise.

Veuillez donc, Monsieur l'Ambassadeur, faire part de Nos sentiments à votre auguste Souverain, et lui dire Notre profonde gratitude tant pour le magnifique présent qu'il vous a chargé de Nous offrir en cette occasion, que pour les félicitations et les vœux que vous Nous avez exprimés en son nom. — Veuillez aussi, transmettre à Sa Majesté la bénédiction Apostolique que Nous lui accordons de tout Notre cœur, ainsi qu'à son auguste Majesté la Reine, à la famille royale et au peuple Portuguais tout entier.

VII.

Die IV Ianuarii MDCCCLXXXVIII ad cives italos, qui magna frequentia Romam convenerant.

Altamente accetti Ci sono in questa ricorrenza del Giubileo gli omaggi ed i voti dei Nostri figli sparsi nelle varie parti del mondo e profondamente Ci commuovono. Ma gli omaggi e i sentimenti vostri, figli carissimi, Ci sono grati e Ci commuovono anche di più. — Vi vediamo qui convenuti numerosi da tutte le parti d'Italia, di questa Italia che Dio predilesse a tal segno da stabilire in essa la sede del suo Vicario; di questa Italia, sopra la quale i Romani Pontefici riversarono in ogni tempo immensi tesori di sapienza, di grandezza e di gloria.

Figli ingrati, nati anche in seno della Chiesa cattolica, mai non mancarono, che disconoscendo gl'insigni beneficî del Papato, si diedero a combatterlo: e per non dire che dell'età nostra, fu una vera congiura, ordita con la più maligna arte, di denigrarlo e di rappresentarlo come l'eterno nemico d'Italia. — Ma voi, figli carissimi, anzi che ascoltare la stolta accusa, smentita solennemente dalla storia di tutti i secoli, voleste dar prova di ossequio e di attaccamento al Papato, schierandovi coraggiosamente fra quelli che ne riconoscono le benefiche influenze, si gloriano di essergli fedeli e divoti, desiderano vederlo ristabilito in quella condizione di vera e sovrana indipendenza e di piena libertà, che per tanti titoli gli è dovuta. Con queste felici disposizioni veniste oggi innanzi a Noi; e tali disposizioni dànno alla vostra pre-

senza in questo luogo, ai vostri voti ed augurî per Noi, un singolare valore, e ne accrescono in Noi il gradimento.

Ben sappiamo che per questi stessi doverosi sentimenti vi si rimprovera di non amare il vostro paese, volerne anzi l'avvilimento e la rovina. — Non vi commuova, miei cari, l'insana parola. La verità è, che il Papato forma per l'Italia la più pura e la più splendida gloria. — La verità è, che in unione col Papato l'Italia sarà la prima, come la più vicina, a sperimentarne la virtù salutare, e dovunque sono nel mondo popolazioni cattoliche sarà da esse rispettata ed amata. — In guerra col Papato, ne avrà divisioni e scissure al di dentro, diminuzione di prestigio al di fuori, e da ogni parte ostacoli e difficoltà senza numero. — La verità è, che gl'Italiani, i quali stanno col Papa e ne vogliono l'indipendenza, mentre compiono un atto doveroso come cattolici, provvedono altresì, più e meglio d'ogni altro, ai veri interessi della loro patria.

Osservate ciò che accade al presente. La semplice ricorrenza del Nostro Giubileo Sacerdotale ha commosso il mondo. Non i cattolici solamente, nè solo le private persone, ma sovrani e principi e governi e pubbliche assemblee hanno voluto fare a gara per prender parte a questa festa giubilare ed attestarci i sensi di riverente affetto e di alta considerazione. — Certo questo fatto è dovuto all'azione della Provvidenza Divina, che fa servire le circostanze più ovvie e gli strumenti meno adatti a gloria della Chiesa. Ma questo fatto trova la sua vera ragione nell'importanza somma del Pontificato; di questo faro luminoso che Dio ha posto in mezzo ai popoli per guidarli a salute; di questo potere mondiale, che è di tutti i tempi e tutti i luoghi; che sorvive e sta, anche quando tutto crolla all'intorno, e dalle stesse persecuzioni sorge più glorioso e più forte. Qual nazione non si stimerebbe felice e onorata di ricettare nel suo seno questa istitu-

zione divina? E per contrario, quale stoltezza volerla come rimpicciolire, facendo del modo e delle condizioni della sua esistenza una questione di ordine interno di un paese o di una nazione? Quale indegnità volerla depressa e nella stessa sua Sede umiliata; voler mettere impedimenti alla sua libera e benefica azione; porla in condizioni di sudditanza e farla dipendere dalla volontà di un'assemblea o di un governo? Per fermo i cattolici del mondo intero, gelosi della libertà del loro Capo, e quanti hanno a cuore la causa dell'ordine e della salvezza dell'umana società, non saranno mai per tollerarlo.

Valgano queste considerazioni, figli carissimi, a confermarvi nei sentimenti che Ci avete protestato, e vi confortino a rimanere ad essi fedeli. Il Nostro cuore, consolato da una dimostrazione sì splendida della vostra fede e del vostro incrollabile attaccamento al Vicario di Gesù Cristo, vi abbraccia col più tenero affetto di padre, vi prega dal cielo ogni bene, e, salvi, come di giustizia, i diritti della Sede Apostolica e della Chiesa, non cessa d'implorare all'Italia i beneficî della concordia e della pace. — Intanto, in auspicio di grazie così segnalate e a pegno della Nostra speciale benevolenza, impartiamo a voi qui presenti, a tutti quelli di cui siete i rappresentanti, e alle vostre famiglie l'Apostolica benedizione.

VIII.

Die vi Ianuarii
ad S. R. E. Presbyterum Cardinalem
Placidum Mariam Schiaffino quo die primum patefiebat
aditus ad spectanda munera Summo Pontifici oblata.

Le eloquenti parole, che ella, Signor Cardinale, testè pronunziava, mettono in evidenza il vero carattere dell'Esposizione Vaticana, la quale raccoglie i doni svariati e molteplici che da tutto il mondo Ci vennero in questa lieta ricorrenza. — Pel Nostro cuore di padre è dolce il vedere che tutta la grande famiglia cattolica colle produzioni dell'ingegno, della natura, dell'arte, dell'industria d'ogni genere, ha voluto prender parte alla letizia di questa Nostra festa giubilare. — È cosa consolante e commovente ad un tempo il pensare che la generosità del ricco e del povero, dei principi e dei popoli, dai paesi più colti ai più selvaggi, ha preparato questa grandiosa mostra di doni; molti dei quali sono frutto di lunghi e non lievi sacrificî sopportati coll'animo più lieto e volonteroso. — Ed è cosa anche più consolante il sapere che ciascun oggetto offertoci dai Nostri figli è una protesta di attaccamento alla Sede Apostolica, di devozione verso l'autorità onde siamo rivestiti, di amore operoso verso di Noi: come altresì nel suo complesso l'infinita varietà e moltitudine di questi doni dice ed attesta altamente la concordia dei sentimenti di chi li offrì; ed è segno di quell'ammirabile unità, che è una delle più belle prerogative della Chiesa cattolica. Così, e per quello che è, e per quello che significa, questa mostra ha, agli occhi di chi ben vede, un carattere tutto proprio ed un valore altissimo. — Onde Noi, mentre

Ci professiamo grati e soddisfatti verso tutti coloro che contribuirono al buon esito di questa dimostrazione, la quale abbraccia e compendia tutte le altre, ad onore del Sommo Pontificato, siamo lietissimi di dichiarare aperta, alla vostra presenza, in questo giorno che ricorda la pietà e la generosità dei Re Magi, l'Esposizione Vaticana.

IX.

Die VII Ianuarii
ad Comitem Brühl Pförten Germaniae Imperatoris extraordinarium Legatum.

Nous apprimes avec une vraie satisfaction que Sa Majesté l'Empéreur d'Allemagne vous avait confié la haute Mission de Nous exprimer ses felicitations et ses vœux pour Notre Jubilé sacerdotal, et Nous Nous rejouissons de vous voir aujourd'hui en Notre présence pour remplir votre noble mandat.

Durant tout Notre Pontificat Nous avons toujours eu à cœur d'entretenir de bonnes relations avec Sa Majesté l'Empéreur, et c'est pour Nous un devoir de reconnaître que souvent Nous avons pu apprécier ses bienveillantes dispositions envers Nous. — Sa Majesté Nous en a donné des preuves non équivoques en maintes circonstances, et particulièrement pendant les longues négociations, qui ont heureusement abouti à la paix religieuse en Allemagne, et dans lesquelles Elle a secondé Nos efforts et Nos désirs. — Nous ne pouvons, dès lors, ne pas avoir pour très agréable cette nouvelle demonstration, qui Nous est un motif d'espérer que Sa Majesté voudra couronner une œuvre à laquelle se rattachent les plus hauts intérets de la religion et le bonheur de ses sujets catholiques.

Veuillez, en attendant, Monsieur le Comte, être Notre interprète fidèle auprès de Sa Majesté, et lui exprimer Notre vive gratitude et Nos vœux pour la précieuse conservation de Son

Auguste personne, ainsi que pour Sa Majesté l'Imperatrice et pour tous les membres de la famille impériale. — Veuillez aussi faire parvenir à Son Altesse le Prince impériale l'expression du haut intéret que Nous portons à sa santé et des vœux que Nous formons pour son complet rétablissement

X.

Die VIII Ianuarii ad Comitem Alfonsum Lefebvre de Béhaine, Gallicae Reipublicae apud Apostolicam Sedem Legatum cum liberis mandatis, extraordinaria legatione fungentem.

